# EX Q. VALERII CATVLLI LIBRO CARMEN IV.

## Phaseli laus & dedicatio.

*Phaselus ille quem videtis hospites,*
*Ait fuisse navium celerrimus:*
*Neque ullius natantis impetum trabis*
*Nequisse præterire, sive palmulis*
*Opus foret volare, sive linteo.*
*Et hoc negat minacis Adriatici*
*Negare littus, insulásve Cycladas,*
*Rhodúmve nobilem, horridámve Thraciam,*
*Propontida, trucémve Ponticum sinum:*
*Vbi iste, pòst phaselus, antea fuit*
*Comata sylva. nam Cytorio in iugo*
*Loquente sæpe sibilum edidit coma.*
*Amastri Pontica, & Cytore buxifer,*
*Tibi hæc fuisse & esse cognitissima*
*Ait phaselus: ultima ex origine*
*Tuo stetisse dicit in cacumine,*
*Tuo imbuisse palmulas in æquore:*
*Et inde tot per impotentia freta*
*Herum tulisse, læva sive dextera*
*Vocaret aura: sive utrumque Iupiter*
*Simul secundus incidisset in pedem.*
*Neque ulla vota littoralibus Deis*

# Phaselus CATVLLI, ET AD EAM, QVOTQVOT EXSTANT, Parodiæ.

Cum annotationibus doctissimorum virorum.

*Accesserunt alia quædam eiusdem generis,*

Edita à Sixto Octaviano.






EBORACI,
Apud Ioannem Marcantium.

M. D. LXXIX.

# INDEX EORVM QVÆ HOC libro continentur.

# PARODIA QVID SIT, ET EIVS ETYMON; EX IVLII CÆSARIS SCALIGERI POETICES LIbro primo, cap. XLII.



Vemadmodum Satyra ex Tragœdia, Mimus è Comœdia: sic Parodia de Rhapsodia nata est. Quum enim Rhapsodi intermitterent recitationem, lusus gratia prodibat qui ad animi remissionem omnia illa priora inuerterent. Hos iccirco παρῳδοὺς nominarunt: quia præter rem seriam propositam alia ridicula subinferrent. Est igitur Parodia, Rhapsodia inversa mutatis vocibus ad ridicula sensum retrahẽs. Erat enim veluti Epirrhema aut Parabasis, quasi auctariũ actus: ut sit παρὰ τὴν γνησίαν ᾠδὴν, & προὔργον, ipsa πάρεργος.

Sic Alexander Ætolus & sensit & scripsit:

ἔγραφε δ' ἠρεὺς
ὧν παρ' ὁμηρείων ἀγλαΐην ἐπέων.

Suidas autem more suo, id est, trivialiter (ut aiunt) interpretatur. Parodia, inquit, quum ex Tragœdia exit cantus in Comœdiam. At hoc expressit certo verbo Plautus in Pseudolo: ut paratragœdiat carnifex. Matron poeta Græcus multa millia Homericorum versuum ad culinam & macellum invertit iusto poëmate. Eubœus quoque Parius quattuor edidit libros Parodiarum, qui floruit sub Philippo. Primus autem Hegemõ apud Athenienses certavit hoc genere carminis, & vicit tum aliis, tum eo quod vocavit Gigantomachiam. Aristoteles Hegemonem Thasium primùm Parodias scripsisse prodidit. Alij Hipponactem inventorem autumant: cujus reliquias, quas inveni, apponam:

Μοῦσά μοι εὐρυμέδοντ' ἄδοις, τὴν ποντοχάρυβδιν,
τὴν ἐγγαστριμάχειραν, ὅ,τ' ἐσθίει οὐ κατὰ κόσμον.
ἔννεφ' ὅπως ψηφῖδι κακῇ κακὸν οἶτον ὄληται
βουλῇ δημοσίῃ παρὰ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο.

Vbi vides quemadmodum Homerica omnia ad hostis insectationem detorta: sicut & illa Eubœi in pugna balneorum,

βάλλοντ' ἀλλήλους χαλκήρεσιν ἐγχείοισι.
Qui & pari filo atque arte designavit tonsorem convicia figulo facientem propter uxorem.
μηδὲ σὺ τόνδ' ἀγαθός περ ἐὼν ἀποαίρεο κούρην,
μηδὲ σὺ πηλείδη.

Quia perpauci sunt qui hosce agnoscant sales, accipias interpretationem. Nam κούρη apud Homerũ pro Briseide posita est: at hic tonsorem describit. Et πηλείδης Homero Achilles est: at hîc figulus, παρὰ τ̃ πηλόν. Sic etiam ex Vlyssea Cratinus in Eunœdis: quæ quia nimis multa sunt, non descripsi. Talem fecimus olim nos inter sodales nostros Carnalium diebus, ex divinitate Maroniana:

*Præla merúmque cano: Cretæ quod nectar ab oris*
*Italiam cyathis profugum potoria venit*
*Littora.* & quæ sequuntur.

Similis est & illa Virgilij inverso Catulli Epigrammate contra Aufidium Bassum:
Sabinus ille quem videtis hospites,
Ait fuisse mulio celerrimus, &c. Catullianum enim illud:
Phaselus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse nauium celerrimus. Fuisse autem Parodiam in honore apud Siculos, conijci potest ex ejusdem Alexandri AEtoli elegiaco eodem:
τοῖα συρακοσίοισιν ἔχων χάριν. οἱ δὲ βοιωτοὺς
ἔκλυεν, εὐβοίᾳ τέρπεται οὐκ ὀλίγον.

Personæ in Parodijs amantes feminæ aut temulentæ. Item Ganeones, qui bona sua abligurierunt. Patres eorũdem Nepotũ & Gurgitum Alcumistarum imposturæ. Lusus in malos poëtas ex persona cauponis aut pistoris. Irrisio mali medici ex recitatione podagrici. Omne genus Bacelorum, & Bauciarũ, & Batalorum, quos Galli Badinos, Itali Balullos vocant. Introducũtur hi cum magistris qui præeunt aut prælegũt versum aliquem serium: at illi detorquent ridiculè ad cujuspiam ignominiam.

# DE EADEM, EX PRÆFATIONE HENRICI STEPHANI IN POEMATIA quæ παρῳδαὶ sive παρῳδίαι vocantur.

ALiud παιγνίων genus licet Homero nō adscribatur: Homericum tamen aliqua ex parte est, utpote ex Homeri verbis, vel potius ex certis singulorum ejus versuum particulis artificiosè consarcinatum. Ingeniosè profectò istud furti genus fuit excogitatum, quod ejusmodi est ut vix furtum dici possit: adeò ut si reviviscens Homerus aliquem τῶν παρῳδῶν suos versus eo modo furantem vel ἐπαυτοφώρῳ deprehendisset, & illum in jus vocasset, in medio etiam Areopago causa fuisse casurum existimem. Quod tamen sic accipi velim tanquam de doctis furandi artificibus à me dictum. Quemadmodum enim scribit Xenophon quamvis Lacedæmone furari impunè liceret, solitos tamen eos cædi qui non satis cautè furarentur: atque hoc minimè mirum debere videri ait, cùm & in alijs rebus soleant vapulare discipuli, qui non rite exsequuntur quod edocti fuerint: ita certè eos qui Homero vel alij suos versus, vel potius certas suorum versuum portiunculas, non ea cautione qua decebat surripuissent, pœnas daturos fuisse existimo. Sed illi Xenophontei fures non satis cautè furari dicebantur, si quando contingeret ut in furto deprehenderentur: at παρῳδοῖς in eo tantùm adhibenda cautio est, ut quæ furati verba fuerint, in alium usum conuertant, qui tam remotus sit ab eo quem apud suum auctorem habebant (quod attinet ad sensa quibus exprimendis adhibita erant) ut nihil tale illi dum ijs uteretur, in mentem venisse dici possit. Matro quidem certè (ut ceteros παρῳδοὺς omittam) nequaquam pœnas dedisset.

Cùm enim caneret Homerus,

Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ

quid minus in mentem ei venisse putandum est, quàm rogare suam Calliopen ut ipsi δεῖπνα πολύτροφα καὶ μάλα πολλὰ memoraret? In hunc tamen usum aliquam illius versus particulam accommodavit Matro, in hoc suo per parodiā facto versu,

Δεῖπνά μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροφα καὶ μάλα πολλά.

Idem verò & de ceteris versibus dicendum est.

Ceterùm videri potest Homerus παρῳδίας exemplum primus

præbuiſſe: vbi nimirum, tanquam ſuos ipſe verſus imitans, in re diſſimili nobis pænè ſimiles exhibet, id eſt, iiſdem verbis magna ex parte compoſitos. veluti cùm canit Odyſſ. γ,

Κάλλιπεν οἰωνοῖσιν ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι.

ad Iliad. ρ,

Κάλλιπες Ἀργείοισιν ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι.

Itidem cùm Iliad. α, utitur hoc verſu,

Ἔχθιστος δέ μοί ἐσσι διοτρεφέων βασιλήων.

at lib. ε, ejuſdem poematis,

Ἔχθιστος δέ μοί ἐσσι θεῶν οἳ ὄλυμπον ἔχουσιν.

Quibus exemplis addere poſſem non pauca, ſi neceſſe videretur. Placuit verò Græcis ludicra hæc carmina παρῳδὰς ſive παρῳδίας vocare. Ac licet ᾠδὴ poetis tribuatur, ſicut ᾄδειν, eſſe tamen κατάχρησιν in iſto nominis παρῳδὴ uſu dicēdum eſt, ſi Fabium ſequi velimus. Is enim de hoc vocabulo παρῳδὴ ſcribit: Quod nomen ductum à canticis ad aliorum ſimilitudinem modulatis, abuſivè etiam in verſificatione ac ſermonum imitatione ſervatur. Ariſtoxenum certè audimus hæc dicentem apud Athenęū ὥσπερ τῶν ἑξαμέτρων τινὲς ἐπὶ τὸ γελοῖον παρῳδὰς εὗρον, οὕτω καὶ τῆς κιθαρῳδίας πρῶτος Οἰνώπας. Quibus verbis τὰς τῆς κιθαρῳδίας παρῳδὰς poſterius inventas fuiſſe ſignificari videtur. Quamvis autem dicat παρῳδὰς non verſuum cujuſlibet generis, ſed ἑξαμέτρων, exſtare tamen & in alio verſuum genere ſciendum eſt. Sed primas fuiſſe τῶν ἑξαμέτρων & quidem Homericorum, credibile eſt: quòd poëmata illius magna ex parte memoriæ mandare poëtices præſertim ſtudioſi ſolerent. Parodiarum ſcriptor dictus itidem fuit παρῳδός. Inde factum fuit & verbum παρῳδεῖν. Atque ut poëta, vel quicumque eſt parodiæ ſcriptor, dicitur παρῳδεῖν, aut cum adjectione, παρῳδεῖν cum verſum quem imitatur: ita viciſſim verſus qui ad imitationem alius ſcribitur, παρῳδεῖται. Et modò verſus aliquis παρῳδεῖται dicitur ἐκ τοῦ ὁμηρικοῦ, vel ἀπὸ τοῦ ὁμηρικοῦ, modò πρὸς τὸ ὁμηρικόν. Quos verborum παρῳδεῖν & παρῳδεῖται uſus cùm apud alios habemus, tum verò apud Euſtathium.

EX

# EX Q. VALERII CATVLLI LIBRO CARMEN IV.

## Phaseli laus & dedicatio.

*PHaselus ille quem videtis hospites,*
*Ait fuisse navium celerrimus:*
*Neque ullius natantis impetum trabis*
*Nequisse præterire, sive palmulis*
*Opus foret volare, sive linteo.*
*Et hoc negat minacis Adriatici*
*Negare littus, insulásve Cycladas,*
*Rhodúmve nobilem, horridámve Thraciam,*
*Propontida, trucémve Ponticum sinum:*
*Vbi iste, pòst phaselus, antea fuit*
*Comata sylva. nam Cytorio in iugo*
*Loquente sæpe sibilum edidit coma.*
*Amastri Pontica, & Cytore buxifer,*
*Tibi hæc fuisse & esse cognitissima*
*Ait phaselus: ultima ex origine*
*Tuo stetisse dicit in cacumine,*
*Tuo imbuisse palmulas in æquore:*
*Et inde tot per impotentia freta*
*Herum tulisse, læva sive dextera*
*Vocaret aura: sive utrumque Iupiter*
*Simul secundus incidisset in pedem.*
*Neque ulla vota littoralibus Deis*

*Sibi esse facta, cùm veniret à mare*
*Novissimo hunc adusque limpidum lacum.*
*Sed hæc prius fuere; nunc recondita*
*Senet quiete, seque dedicat tibi*
*Gemelle Castor, & gemelle Castoris.*

## EX COMMENTARIO M. ANTONII MVRETI IN CATVLLVM.

F*Aselus.* commendat faselũ, quo diu usus fuerat, eumq; Castoris ac Pollucis numini consecrat. Est autem carmẽ è meris Iambis; ut admirari liceat tantum lepôrem in tanta numerorum necessitate. talia non multa sunt & in Priapeijs: quorum, vereor, ne magna pars ex hoc ipso fonte fluxerit. habet enim Catullus γνήσιον quiddam, quo se etiam tacitus prodit. detorsit hoc totum epigramma in Sabinum quendam incertus aliquis auctor, non sanè invenustè: hoc modo:

*Sabinus ille, quem videtis hospites,*
*Ait fuisse mulio celerrimus;*
*Nec ullius volantis impetum cisi*
*Nequisse præterire, sive Mantuam*
*Opus foret volare, sive Brixiam.*

parcam cetera adscribere: sunt enim in promtu.

*Faselus*, Campanum navigium est, ait Nonius. Plura nihil necesse: Baifij enim scrinia, vt ille ait, compilare hoc loco noluimus. *Faselus ille.* dicitur & femineo genere. Ovidius, — ventis discordibus acta faselus. *Celerrimus.* Græca constructio, qualis in illo Virgilij, — sensit medios dilapsus in hostes. & in illo Horatij, — patiens vocari Cæsaris ultor. Aristoph μανθάνεις, ὅς φησιν εἶναι; notavit hoc & Thomas Linacer. *Trabis*, navis. hypallage. Virgilius, — vastúmque cava trabe currimus æquor. Horatius, — ut trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare. *Sive palmulis.* ita pænè commendat navim quandam suam Ovidius,

Sive opus est velis, minimam bene currit ad auram:
Sive opus est remo, remige carpit iter.

Nec

Nec comites volucri contenta est vincere cursu:
Occupat egressas quamlibet antè rates.

*Palmulis*, remis. Virgilius, Littus ama, & lævas stringat, sine, palmula cautes.

*Minacis Adriatici*. Horat. — improbo Iracundior Adria.

*Negat negare*, affirmare ac testificari ait. duæ igitur negationes affirmant, ut & suprà, Neque nequisse. at olim, ut apud Græcos, magis etiam negabant. Lucillius libro satyrarum xvij:
Cetera contemnit, & in vsura omnia ponit
Non magna, proprium verò nil neminem habere.
id est, neminem quidquam, aut nihil quenquam habere propriũ. Varro Bimargo, Qui non modò ignorasse me clamat, sed omnino omnes heroas negat nescisse. Idẽ lib. II. de vita pop. Rom. Qua abstinentia viri mulieresque Romanæ fuerint, quòd à rege munera eorum nemo noluerit accipere. id est, negat scisse, &, nemo voluerit.

*Rhodúmve nobilem*. sive ob colossum, sive ob mercaturas.

*Horridámve Thraciam*, & à frigore, & ab incolarum immanitate.

*Trucémve Ponticum sinum*. eum intelligit, qui olim Axenus, postea Euxinus vocatus est. In illo autem Propontida, ultimam syllabam, propter principes dictionis quæ subsequitur, litteras, Græco more produxit: frustraque se torquent, qui versus causa Propontidem legere se aiũt. sic paullò infrà, Et inde tot per impotentia freta: milleque alijs locis.

*Nam Cytorio in iugo*. significat contextum esse ex arboribus è monte Cytoro cæsis.

*Loquente sæpe sibilum edidit coma*. aiunt vitiosum esse, semel susceptam metaphoram non perducere ad extremum, neque in ea insistere, sed ab una ad aliam transilire. hîc verò, talium præceptionum securus, tres hoc versu metaphoras permiscuit. nam & comam dixit pro frondibus, & comam loquentem; & postremò sibilum à serpentibus mutuatus est. Simili libertate suprà in carmine ad passerem, cùm ardorem pro dolore dixisset, quod ab igne sumptum est, addidit epitheton gravis, ductum non ab igne, sed ab ijs corporibus, in quibus est pondus. cumque ignem restinguere, & quæ grauia sunt, levare dicamus, ipse aliũde accersijt verbum, Acquiescat. & paullò antè in hoc ipso carmine idem permisit sibi;

*Neque ullius natantûs impetum trabis*
*Nequisse praterire, sive palmulis*
*Opus foret volare, sive linteo.*

natare enim aquatilium est, ire terrestrium, volare alitum.

*Sibilum*, id quod Theocritus vocat ψιθύρισμα.

*Cytore buxifer.* Virgilius, *Seu iuvat undantem buxo spectare Cytorum.*

*Vltima ex origine.* id est, à prima origine. sic enim Virgil. *—prima repetens ab origine pandam.* Et Ovidius. *—primáque ab origine mundi.* sic Terentius extremam amoris lineam vocavit, quę prima etiam dicitur. idque quoniam, vt philosophi docent, idem quodam modo est primum, & ultimum. Cicero, pueritię memoriam recordari ultimam. Virgilius, *— isque parentem Te Saturne refert: tu sanguinis ultimus auctor.*

*Imbuisse.* imbuere propriè est tingere, adspergere. Virgilius,

*— illius aram*
*Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.*
— Idem, *— sanguis novus imbuet arma.*

inde transfertur ad alia. Horatius, Literulis Græcis imbutus, idoneus arti Cuilibet. — Varro Agathone, Virgo de convivio abducatur ideo, quòd majores nostri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt. M. Tullius in Hortensio: Vti qui purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamētis quibusdam: sic litteris talibusque doctrinis antè excoli animos, & ad sapientiam concipiendam imbui ac præparari decet. in quo exemplo notandum est etiam verbum *sufficere*, aliter positum quàm vulgo solet.

*Æquore.* Æquor maris. Virgilius, --- longum maris æquor arandum est. Æquor terræ. Cicero, Babylonij in camporum patentium æquoribus habitantes. &, quod haud scio an quisquam adhuc annotaverit, æquor cæli. Accius Atreo:

*Sed quid tonitru turbida torvo*
*Concussa repente æquora cæli*
*Sensimus sonere?*

*Impotentia*, æstuosa.

*Læva sive dextera.* omisit alterum sive; usitatius enim erat, sine læva, sive dextera. sic Horatius,

*Cantamus, vacui, sive quid urimur.* Idem,

*Quo non arbiter Adriæ*
*Maior, tollere seu ponere vult freta.* Idem,
*— & Sthenelus sciens*
*Pugnæ, sive opus est imperitare equis,*
*Non auriga piger*

*Iupiter*, ventus. quidam enim Philosophorum, ut Anaximander & Stoici, putant nihil aliud esse ventum, quàm agitatum aëra, aut quendam aëris veluti fluxum. qua in sententia est etiã is, cujus est liber ad Alexandrum de mũdo. aërem porrò ipsum antiqui vocabant Iovem. Horatius, *— manet sub Iove frigido Venator.* Idem,
*Quod latus mundi nebulæ malúsque Iuppiter urget.*

Ennius, Adspice hoc sublime candens, quem vocant omnes Iovem. Idem, Istic est is Iuppiter, quem dico, quem Græci vocant Aërem, qui ventus est, & nubes, imber postea. Atque ex imbre frigus, ventus, pòst fit aer denuo.

*Pedem*, velum. synecdoche. Facere pedem etiam dicitur pro vela facere. Virgilius,
*Unà omnes fecere pedem, paritérque sinistros,*
*Nunc dextros solvêre sinus.*

Plautus Menæchmis remiges ipsos videtur vocasse navales pedes. Asservatote hoc, sulti, navales pedes.

*Littoralibus diis*, nempe ijs, quos ait Virgilius, Glauco, & Panopææ, & Inoo Melicertæ.

*Novissime*. hoc verbum refugisse Ciceronem annotat Gellius. falsò: eo enim & in libris de Oratore, & in oratione pro Q. Roscio comœdo usus est, & in epistola ad Octauianum, si modò ea epistola Ciceronis est: quod non puto. *Lacum*, Benacum.

*Senet*. Antiqum verbum. Pacuvius Peribœa, --- corpusque meum tali Mœrore, errore, macore senet.
Actius, *Iam iam stupido Thessala somno*
*Pectora languéntque, senéntque.*
eleganter autem, quod proprium est animalium, ad rem inanimam transtulit.

*Gemelle Castor, & gemelle Castoris:* hi enim dij sunt navigantibus maximè propitij. Horatius,
*Clarum Tyndaridæ sidus ab intimis*
*Quassas eripiunt æquoribus rates.*
vide Theocritum Dioscuris.

EX

# EX ACHILLIS STATII LVSITANI COMMENTARIO IN Catullum.

*Phasellus ille.* sic omnino scribendum verbum Phasellus, auctoribus libris duobus antiquissimis Virgilij, Vaticano, & illo altero Rodulfi Pij Cardinalis Carpēsis. in quibus versus ille in IIII. Georg. scriptus legitur hoc modo, Et circum pictis vehitur sua rura phasellis.

*Ait fuisse navium celerrimus.* sic omnino legendum vel auctore illo, qui, Catulli abusus versibus his, Sabino cuidam convicium fecit. & sanè Græca tota ratio est.

*Neque ullius natantis impetum trabis.* Impetum dixit navis ipsius celerem cursum, ut etiam Ennius in XIIII. Annal. vt Macrobius citat. Labitur uncta carina, volat super impetus undas. Et auctor hymni in Neptunum, καὶ νηῶν εὐσέλμων ὁρμήν. Et idem in Leucotheam,

Ἐν σοὶ γὰρ νηῶν πελαγοσδρόμος ἄστατος ὁρμή.

Ennius quoque Trabem pro Navi posuit. apud Varronem in VI. de lingua Latina, illius versus est non integer,

*Vna trabes remis rostrata per altum.*

*Sive palmulis Opus foret volare, sive linteo.* Ovidius in lib. Trist. I. eleg. IX videtur imitatus.

*Propontida, trucémve Ponticum sinum.* ultimā syllabā verbi Propontida producit, propter duas verbi sequētis consonātes principes litteras ut post, Per impotentia freta. Et alibi, Nec deprecor jam si nefaria scripta. Et Ennius apud Cic. in I. divin. Conspicit inde sibi data Romulus esse priora Auspicio regni stabilita scamna solumque. Quod est factum more Græcorum. Trucem sinū sic dixit, ut Horat. in I. Carm. Qui fragilem truci Commisit pelago ratem.

*Vbi iste, post phasellus.* Pòst phasellus, τὸ ὕστερον πλοῖον. more enim Græco dixit.

*Loquente sæpe sibilum edidit coma.* sibilum, ψιθύρισμα, vt Theocritus. Virgil. Argutúmque nemus, pinosque loquentes. sic etiam apud Athenæum Bion in Bucolicis.

Ἔνθα καὶ ἢν πνεύσῃ πολὺς ὤνεμος, ἁ πίτυς ᾄδει.

Lycophron Argo navem κίσσαν λάλήθρον, sed alia de caussa. namque

namque κίσσαν avem esse dicunt humanæ imitatricem vocis. eoque sic dictam navem illam, quòd è lignis Dodonæ, unde reddebantur oracula, facta esset. Id quod & Claudianus de bello Getico significat:

*— licet omnia vates*
*In maius celebrata ferant, ipsámque secandus*
*Argois trabibus iactent sudasse Minervam,*
*Nec nemoris tantùm iunxisse carentia sensu*
*Robora, sed cæso monitu Iovis augure luco,*
*Arbore præsaga tabulas animasse loquaces.*

*Et Cytore buxifer.* Vibius Sequester de montibus: Cytorus in Ponto Paphlagoniæ buxo potens.

*Vltima ex origine.* sic Corn. Nepos in vita Attici: Pomponius Atticus ab origine ultima, stirpis Romanæ fuit.

*Tuo stetisse dicit in cacumine.* Tuo in vertice. Virg. *Nos sumus Idææ sacro de vertice pinus.*

*Stetisse.* sic Columella in v. cap. VIII. Vel ubi arbutus aut ilex steterant.

*— sive utrumque Iuppiter Simul secundus incidisset in pedem.* Iuppiter secundus is ab eo dicitur, qui à Pausania in Laconicis Ζεὺς εὐάνεμος: cujus esse illis in locis templum scribit. De eodem Iove Papinius, Ductorque secundi Quod superest convexa Iovis. Pedem verò quid in navi dicerent, alij docent. Cic. in III. de Orat. Nam, si res, inquit, suum nomen & proprium vocabulum non habet, ut pes in navi. Et Plin. in II. Nat. hist. Isdem autem ventis in contrarium navigatur prolatis pedibus, ut noctu vela plerumque concurrant. Et Seneca tragicus in Medea: Nunc prę alto pede transversos captare notos. Euripides in Iphigenia:

Λέρι δ' ἱςία, πρότονοι, κατὰ πρῶραν, ὑπὲρ ςόλον
Εκπετάσσουσι πόδα. Ναὸς ὠκυπόμπου.

Lusitani dicunt, Poia. rudentem scilicet, sive funem, quo velum trahitur ac tenetur. pes ipse & quasi veli radix.

*Incidisset.* De ventis etiam Homer.

ξύν τ' εὖρός τ' ἔπεσε, Ζέφυρός τε, νότος τε δασίης.

Et Apollonius in I. Argon. totidem propè verbis, quot Catullus eandem efferens sententiam,

Εν δὲ λιγὺς πέσεν οὖρος: ἐπ' ἰκριόφιν δὲ κάλωας.

Sic etiam Cicer. in Arateis versibus, *Sin gravis inciderit vehementi sta-*

*ti flamine ventus.* Et Virgil. *Aut ubi navigijs violentior incidit Eurus.*

*Nec ulla vota littoralibus dijs* αἰγιαλίοις. Ovid. Di maris & terrę. Hoc de genere votorum intelligendum illud Poetæ: Votaque servati solvunt in littore nautæ. Dijs autem θαλασσίοις etiam Lucan. extulit in II. O utinam cælique dijs, erebique liceret. sic enim est in vetusto optimoque Fulvij Vrsini libro.

*Cùm veniret à mari.* In Maffei libro, A mare. in alijs, Amarę. itaque legendum omnino, à mare. quod & Grammatici veteres Priscian. & Carisi. in I. notarunt, & Lucretij versus in I. posse fieri declarat: *E mare primùm homines, è terra posset oriri Squamigerum genus.* Et Ovid. in Ibin, *Et summam Libyco de mare carpat aquam.*

*Novißimè.* sic omnibus in manuscriptis, non, Novissimo.

*Hunc alusque limpidum lacum* Idem pòst de eodem lacu: *Salvete vósque Lydiæ lacus undæ.*

*Sed hæc prius fuere* prius, olim. Idem alibi, *Otium & reges prius & beatas perdidit urbes.* Et Hom. Iliad σ:

Πρὶν μὲν γὰρ πριάμοιο πόλιν μέροπες ἄνθρωποι
Πάντες μυθέσκοντο πολύχρυσον, πολύχαλκον.

Similiter Cicero ad Cornificium, Sed illud & præterijt, & levius est.

*Nunc recondita Senet quiete.* Mirari satis non possum, cur hos versus cōtra metricam rationem aliter Priscianus legerit in VIII. cujus verba sunt: Et multa præterea à vetustissimis similiter sunt prolata participia præteriti à neutralibus verbis, vt à Seneo, Senectus. Ac deinde exempli caussa subiicit, Catullus: *Sed hæc fuere, nunc recondita Senecta quiete.* Senesco enim inchoativum est. Sallust. in IIII. histor. Omnes, quibus senecto corpore animus militaris erat. Qui autem versus in Sabinum fecit, legisse hoc loco videtur, Sedet. quo modo hoc ipso in genere Claudius Rutilius in Itinerario loquitur, *Tranquilla puppes in statione sedent.* Tametsi Carisius, quo loco de Inchoativis disputat, & Diomedes, Senet, agnoscere ac legere videntur hoc loco. Eodem verbo Lucretius utitur in V. *Nunc etiam senet, & trepido terrore repleta est.* Vide Nonium Marcell. in verbo Macore. Sententia verò similis Enniana illa apud Cic.

*Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo*
*Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.*

# EX IOSEPHI SCALIGERI CASTIGATIONIBVS IN Catullum.

A *mare novissimè*. Ita liber noster. Sed profectò rectè faciebant, qui legebãt Novissimo. Quis nescit navigationem ad ea loca, ἔσχατον πλοῦν dictam? versus proverbialis: ἐς Φᾶσιν, ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος. Allusit Propertius: — longè Phasidos isse viam.

# PARODIA I. AD PHASELVM CATVLLI, SVMTA EX P. VIRgilij Maronis Catalectis.

*Sabinus ille, quem videtis hospites,*
*Ait fuisse mulio celerrimus:*
*Neque ullius volantis impetum cisi*
*Nequisse praeterire, sive Mantuam*
*Opus foret volare, sive Brixiam.*
*Et hoc negat Tryphonis aemuli domum*
*Negare nobilem, insulámve Caeruli:*
*Vbi iste, pòst Sabinus, antè Quinctio*
*Bidente dicit attodisse forcipe*
*Comata colla, ne qua sordidum iugo*
*Premente dura vulnus ederet iuba.*
*Cremona frigida, & Lutosa Gallia,*
*Tibi haec fuisse & esse cognitissima*
*Ait Sabinus: ultima ex origine*
*Tua stetisse dicit in voragine,*

*Tua in palude deposisse sarcinas,*
*Et inde tot per orbitosa millia*
*Iugum tulisse : laeva, sive dextera*
*Strigare mula, sive utrumque cœperat,*
*Neque ulla vota semitalibus deis*
*Sibi esse facta, propter hoc novissimum*
*Paterna lora, proximúmque pectinem.*
*Sed haec prius fuere; nunc eburnea*
*Sedétque sede, seque dedicat tibi*
*Gemelle Castor, & Gemelle Castoris.*

## EX IOSEPHI SCALIGERI COMMENTARIIS ET CASTIGATIONIbus in Appendicem Virgilij Maronis.

SAbinus ille. Parodia est, ex Phaselo Catulli, quem nos olim adolescentes totidem Iambis puris Græcè vertimus. Veterum ludicra exercitatio fuit παρῳδίαι, ut Archestrati versus ex Homero, & innominati auctoris ex Bucolicis Virgilij:
*Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?* item:
*Dic mihi Damœta, cujum pecus? ánne Latinum?*
*Non: verùm Ægonis. nostri sic rure loquuntur.*

Quod quia ex Vita Virgilij desumtum est, & nihil nocet de tanto auctore scire, immò necesse est scire: corrigam locum insigniter depravatum, ex depravata tamen manu scripta lectione, sed quæ propius absit à veritate. Igitur ita lego: Obtrectatores Virgilio nunquam defuerunt. Nec mirum. Nam nec Homero quidem. Prolatis Bucolicis, innominatus quidã rescripsit Antibucolica, duas modò Eclogas, sed insulsissimè, παρῳδήσας, quarum prioris initium est:
*Tityre si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?* sequentis:
*Dic mihi Damœta, &c.*

In quibus nullum vulgatę lectionis vestigium agnoscas. adeò

omnia

omnia perturbata sunt. Vt etiam Paro quidam pro poëta (si Dijs placet) acceptus sit. Conferāt ergo nostram ex veteri manu scripta correctam cum vulgata lectione. Scripta est hæc festivissima parodia in Ventidium Bassum: qui ex mulione post præclara militiæ facinora Prætor, mox Consul factus est, ut hæc in illum famosa ostendunt:

*Concurrite omnes Augures, Aruspices.*
*Portentum inusitatum conflatum est recens.*
*Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.*

Et contumeliosè dixit Plancus ad Ciceronem: Ventidij mulionis castra prospicio. Sed amplius de eo Gellius, Val. Maximus, & Plinius.

*Neque hoc negat.* lege: Et hoc negat, vt in Catullo.

*Insulâmve Cæruli* An per Cærulum intelligit Benacum, qui assurgit fluctu marino? per insulam verò, Sirmionem ejus lacus peninsulam vetustissimam, quondam Catulli poetæ, & aliquando etiam, dum fata manebāt, *Scaligerorum Principum* amœnissimum secessum? An verò est id, quod narrat Strabo lib. VI? fuisse quēdam Tryphonem cognomine διόδοτον, qui Apameam nobilem Seleuciæ Syrię urbem occupavit, seseque regem totius Pieriæ declaravit. Qui postea cum duabus legionibus Romanis à Basso quodam obsessus, tandem in deditionem venire coactus est. Hæc omnia conveniunt Basso nostro, qui & ad illas partes Syriæ, & ad Parthos, & Euphraten sæpius missus fuit ab Antonio. Ac insulę formam habuisse Apameam urbem, auctor idem Strabo. De Tryphone verò ex præcedentibus satis convenit. Sed non potest esse. Nam quid faciemus illa voce Cæruli? Deinde istum Bassum non οὐεντίδιον, sed κεκίλιον vocat Strabo. An insula Cæruli erit Britannia magna? Nam seu mare interius, sive Oceanus Cærulum κατ' ἐξοχὴν vocatur. Varro Marcipore:

*Propontis unda, quam liquante Cærulo*
*Aqua natantem nempe perfundat, cape.*

Ad insulam verò Britanniam secutus est Cæsarem Bassus. Nam & Gellius ait ad vltimas usque Gallias cum Cęsare venisse eum etiam tum quum mulio esset. Domus ergo Tryphonis erit domus Mamurræ. Mamurra enim habuit prædium nobilissimum in agro Firmano, vt ait Catullus. Bassus verò fuit ex eo agro, hoc est, Picentinus. auctor Gellius. Quare in eo verisimile est mulioniam exercuisse Bassum. Fuit enim illi natale solum.

Iam Tryphonis nomen meruisse Mamurram, quem hic noluit nominare Virgilius, quòd Caio Cæsari amicus fuerit, non mirabitur, quisquis ejus luxum cognoscet ex Catullo. Sic Ptolemæus vnus ex Regibus Ægypti propter luxum τρύφων vulgo cognominatus. auctor Ælianus. Quare hic intelligeretur Ventidium & in Gallijs & in natalibus Picentinis exercuisse mulioniam. An superiora illa omnia falsa sunt: illud verò, quod sequetur, certissimum? Tryphonem pro nomine mulionis accipiendum: quem icciirco æmulum Ventidij dicit, hoc est, eiusdem quæstus exercitorem. sicut & Cærulum nomen proprium esse, Latinum quidem illud, sed non Romanarum gentium. Est enim nomen servi insularij, hoc est, custodis insulæ cujuspiam in urbe. Ergo insulam Cæruli, cujus Cærulus custos fuit. Insularium vocat Vlpianus servum insulæ custodem. Salsè ergo hominem notat: utpote quem dicat notum fuisse Tryphoni mulioni, & Cærulo insulario: ac cum eis quęstum de mulionia fecisse. hæc sine ullo dubio firmissima est conjectura.

*Quinctio.* Mulas Quinctij mulionis ait totondisse: cujus Bassus fuerit submulio: aut cujus perpetuarium mulum conduxerit. Itaque propterea vocavit eum Cicero Subfarraneum mulionē, ut est apud Plinium. Nam Quinctius, ut & alij servi, ab hero far & demensum suum accipiebat, à quo rursus & Bassus acciperet tanquam ejus submulio. ut omnino Quinctius fuerit ordinarius mulio: Ventidius, vicarius. Sic in Factionibus Succonditor appellabatur, qui Conditori parebat. Siquidem Conditor ἀλείπτης ἵππων optimus Glossarius exponit. De quo & ita in veteribus inscriptionibus. M. V*ipsanio Quartin. Succonditori.* Quanquam ego puto conditores factionum esse eos, qui factionem ederent, & missus suppeditarent. ut factionum dicerentur Conditores, quemadmodum munerum, hoc est gladiatorum editores in vita D. Antonini Pij. legendumque in optimo Glossario, Conditor ἀλείπτης πίθων. vel, ἀλείπτης πιτλῶν. qui pice illinit cados, quos postea condat, & infodiat terræ. Horatius, — Græca quod ego ipse testa Conditum leui. — Sed ad Ventidium, hoc est ad rem. Fuit igitur subfarraneus, & submulio Quinctij: & forsan quartarius: quòd trientem caperet de toto asse quæstus, & dodrantem redderet Quinctio, à quo mulas conducebat.

*Bidente dicit.* Claudicat versus. Fortasse legendum: *Bidente dicit*

*dicit attodisse forcipe.* ut sit attodisse, ut attigo, pago. Nisi sit, *Ait bidente tonsitasse forcipe.*

*Comata colla* jubata. Recutita colla mulæ contrà Martiali, τὰ ἀποκεκαρμένα.

*Vulnus ederet.* hoc nos Panticem vocari invenimus in illo optimo Glossario toties à nobis laudato, ut suprà admonuimus. In eo enim ita scriptum fuit: Pantex, ἕλκος ἐπὶ τραχήλου κτηνῶν.

*In voragine.* Et Catullus: Ferream vt soleam tenaci in voragine mula. Vorago igitur τὸ τέναγος.

*Deposuisse forcinas* ἀρχαϊκῶς legendum, deposisse. integrum, deposivisse. Catullus: *Quam mater prope Deliam deposiuit oliuam.*

*Strigere mulas.* Hæc non sunt unius assis. lego: Strigare mula. læva, dextera mula, ut in quadrigis, lævus, dexter equus. Strigare dicuntur equi, quoties interquiescunt. Dictum à Striga, quod erat μεταίχμιον, & spatium turmarum in quo equi stringebantur. à quo nomen habet, ut docet Charisius. Hinc factũ, ut, quoties interquiescunt equi & jumenta, dicantur strigare. Sicut in vulgari sermone Thusco & Germanico stallare equos dicunt perorigæ, quum ad urinam emittendam quiescunt. Quia quum recenter veniunt in stabulum, quod nunc stallam vocāt, tunc ferè urinam solent emittere Ergo strigare à striga: quod est castrense vocabulum. Nam etiam Rustici strigam vocant in arando sulcum, qui uno ductu prorsus peragitur in longitudinem, ut scamnum in latitudinem. Atque ut strigare equi dicuntur in actu intermittendo: sic cùm continuant actum, hoc dicitur protelo ducere. Lucillius:

*Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri*
*Ducere protelo validis cervicibu' possent.*

Protelum enim est continuatio & tenor. Lucretius:

*Vndique protelo telorum continuato.*

In vetere illo Glossario: Protelum, ἔκλαμπρον. Lego, ζεύγλαμπρον, vel ἔξαμπρον. hoc est, ζεύγλης ἄμπρευμα. Cohum vocari ait Festus. Et quod Lucillius dicit protelo ducere, est ἐξαμπρεύειν, Aristophani Lysistrata. Sed omittendum non est, eodẽ modo strigosum dictum à Lucillio non ἰσχνὸν, ut vulgo accipimus, sed in hanc significationem, hoc est, morabundum. & tergiversatorẽ. posteà verò jumenta macilenta ita dicta: quasi strigare cogantur præ macie, & quia malè curata. Ejus verba sunt:

*Hice strigosu' bovinatorque, ore improbu' duro.*

Bovinator enim ibi est tergiversator, ut interpretatur ille apud Gellium: nimirum à bubus, qui in medio actu strigare solent, neque uno protelo continuare. Atque hæc de verbo Strigare. Porrò & Striga in veteri Glossario exponitur ἡ κιμωλία, hoc est, creta. ab eo, puto, quòd stringuntur ea vestimenta apud fullonem. In eodem Glossario Striga, λαιστρυγών, καὶ γυνὴ φαρμακίς. Etiam hodie in multis locis Italiæ Striglam vocant veneficam mulierem, à Strigibus avibus. quas Plinius ait in diris, & imprecationibus Græcorum esse: intelligens, puto, versus, quibus eas devovebant.

στρίγγ' ἀποπέμπειν νυκτιβόαν, τὰν στρίγγ' ἀγελαίαν
ὄρνιν ἀνώνυμον ἐνθένδε ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας.

Et ita verba Hesychij depravata restitue: στριγγὸς, τοῦ νυκτικόρακος, νυκτιφοίτου. καλεῖται δὲ καὶ νυκτιβόα. οἱ δὲ καὶ νυκτικόρακα. Quod Strigas νυκτιφοίτους vocari solitas ait, propterea etiam Latini volaticas vocabant: quod ex parietinis & ruderibus Festi cognoscimus. In Glossis Isidori: Harpyiæ, virgines volaticæ. quod non intelligit, quia eis essent alæ, sed ab ea significatione.

*Semitalibus Deis*. ἐνοδίοις, καὶ ἐνοδίᾳ. hoc est, Ἑρμῇ & Ἑκάτῃ. Iulianus ὁ παραβάτης in Epistol. ἄξει δέ σε ὁ δημόσιος δρόμος ὀχήματι χρώμενον ἑνὶ, καὶ παρίππῳ. εἰ δὲ χρὴ τι καὶ ἐπεύξασθαι, τὴν ἐνοδίαν εὐμενῆ σοι, καὶ τὸν ἐνόδιον παρακεκλήκαμεν. Sed & alij Dij peculiares semitales: quos Lares Viales vocat Plaut⁹. Est & Bivia Dea Arnobio. Nam in ambivijs & trivijs olim carri & cisia conducebantur. Varro Marcipore: Hic in ambivio navim conscendimus palustrem: quam nautici equisones per viam quum ducerent, loco. Hinc igitur semitales Dij. Sed & Dij Vij possunt intelligi: ad quos decumæ lucri omnes deferebantur, ut patet ex epigrāmate Fortunæ Prænestinæ: ubi de mercatore decumas Fortunę persolvente, hæc, & de Deo Vio habentur:

*Omnibus hic annis votorum more suorum*
*Centenas adicit numero crescente coronas,*
*Fortunæ simulacra colens, & Apollinis aras,*
*Arcanúmque Vij.* — Servius commento VII. Æneidos, de Præneste loquens: Ibi, inquit, erant pontifices, & Di indigetes, sicut etiam Romæ. lege, Dij Vij. Apud Solinum quoque perperam legitur fratrum Digitiorum. lege, Fratrum indigetum Viorum. In duobus tamen Solini calamo exaratis codicibus, qui sunt penes Pithoeum nostrum, eandem scripturam corruptam vidi.

*Paterna*

*Paterna lora.* lora, τὰ ἔυληρα, quæ vocat Homerus. Paterna, ut oſtendat Baſſum πατρόθεν καὶ ἀνέκαθεν à mulionibus genus ducere. Subintelligendum autem, dedicat: ut in illo,

*Æneas hæc de Danais victoribus arma.*

Semper enim ferè in eum ſenſum reticetur verbum. In quo creberrimi ſunt poëtæ Græci. Adponam etiam Epigramma, quod Romæ aliquãdo in pervetuſto ac penè corroſo marmore vix me legere poſſe memini:

Φλαβιανῷ ἥρωι πατὴρ Δῶρος τόδε σῆμα
  ἓξ ἐπὶ τοῖς δέκ' ἔτη μοῦνα βιωσαμένῳ.
μοῖρα γὰρ Ἀργολίδος πάτρης ἀπάνευθε Μυρίνης
  θάψε τε, καὶ μοιρῶν ξυνιν ἔθη, χάρετης.

Reticetur enim verbum ἔκποιει, aut ἀνέθετο. & in hoc genere, ut dixi, frequentiſſimi Græci.

*Proximúmque pectinem* Quid pectine mulioni opus, cujus mularum colla recutita, ut eſt apud Martialem: manni verò detonſi, ut apud Propertium:

*Huc mea detonſis avecta eſt Cynthia mannis.*

Puto ſimile plectrum Citharœdorum. ut— *& pectine pulſat eburno.* In veteri Gloſſario, Pecten. πλῆκτρον. Lucanus,— *eburno verbere.*—&, Pectere verberibus, Plauto. Poſſet & legi, ploximũ, nõ proximum. Nam ploximum, ait Feſtus, quo uſus Catullus, Capſum in Ciſio, hoc eſt vulgo Tumberellum. Eſtque tranſpadanum vocabulum. Iſte verò Baſſus & Ciſia duxit, & à tranſpadano poëta inceſſitur. Ciſum verò proprium fuit Galliȩ Ciſalpinæ: ut petoritum Oſcorum. quod ita dictum, quòd quattuor rotas haberet. Nam πέτορα pro τέσσαρα Tarentini dicebant. Pilentum verò Thuſcorum. Apud Nonium dictione larrum, ita legito: Varro ἀεὶ λιβύη: Gallica petorita, carros, ancerras, Tuſca pilenta. Gallorum etiam fuit Reda: ſicut Britannorum Covinnus. vetus Gloſſarius: Covinus, κάρριον κατάφρακτον. Belgarum verò Benna, qua etiamdum hodie utuntur: quin & apud eos hodie genus Carri, itémque apud Helveticos, ein benne vocatur. Feſtus ait, qui unà in eo curru veherentur, Combennones dictos. Etiam in eodem lexico latinogræco ſcriptum fuit: Convennit, συμβαστάζει. perperam, pro Combennit. In eodem: Bennarius, σκηνάρχης.

*Nunc eburnea.* Nam Prætor, & poſtea Conſul fuit.

# PARODIA II. AD EANDEM PHASELVM CATVLLI, EX GEORGII Anſelmi Nepotis epigrammatum lib. I.

## In P. Virgilij opera.

*Libellus ille, quem videtis hoſpites,*
*Ait voluminum fuiſſe maximus.*
*Neque ullius canentis impetus fidis*
*Nequiſſe præterire, ſive fiſtula*
*Opus foret ſonare, ſive claſſico.*
*Et hoc negat ſuperba Romuli juga*
*Negare, vatibúſque claram Achaidem,*
*Rhodónque nobilem, horridámque Thraciam,*
*Sicana ſaxa, aquæve Siſyphi vadum.*
*Vbi iſte, pòſt libellus, antè vox fuit*
*Deorum amica: namque Delphico in ſpecu*
*Loquente ſæpe verba condidit Deo.*
*Iliſſe flumen, & Lycæe pinifer,*
*Tibi hæc fuiſſe & eſſe cognitiſſima*
*Ait libellus: enthea ex origine*
*Tuo ſtetiſſe dicit in cacumine,*
*Tuo imbuiſſe tibias in æquore:*
*Et inde tot per ora docta curſitans*
*Phrygas tuliſſe, læva ſive dextera*
*Vocaret aura, ſive utramque Pythius*
*Simul ſecundus incidiſſet in manum.*

Neque

*Neque ulla vota provehentibus Deis*
*Sibi esse facta, cùm veniret à Iove*
*Novissimum hunc adusque candidum diem.*
*Sed hæc prius fuere; nunc Poëtico*
*Tumet favore, gratiásque agit tibi*
*Gemella Cynthia, & gemelle Cynthiæ.*

## PARODIA III. IVLII CÆSARIS SCALIGERI, EX EIVSDEM poetices lib. I.

*Doletus ille qui necavit hospites,*
*Ait fuisse carnifex sacerrimus;*
*Neque ullius furentis impetum manus*
*Nequisse præterire: sive sicula*
*Opus foret necare, sive linteo.*
*Et hoc negat minacior Druentiæ*
*Negare ripa, vel pigrè tumens Arar:*
*Vel urbs negotiosa, vel lutosa, vel*
*Petita liberalis aula principis:*
*Vbi iste fur Doletus antea fuit,*
*Rapáxque leno. nam Genabio in iugo*
*Silente nocte sibilum edidit suis.*
*Tolosa dives & superba Fuxia,*
*Tibi hæc fuisse & esse perditissima*
*Ait Doletus: impia ex origine*
*Tuo stetisse dicit in statumine,*

*Tuum excacasse clamat ille carcerem:*
*Et inde tot per insequentium manus*
*Se hero abdidisse: læva sive dextera*
*Fugaret aura, sive utrumque carnifex*
*Simul se inanis ac dedisset in pedem.*
*Neque ulla vota carceralibus Deis*
*Sibi esse facta, cùm veniret ad mare*
*Tolosa abusque. nam nihil putat Deos.*
*Sed hæc prius fuêre: nunc recondita*
*Bibit quiete: séque devovet tibi*
*Megæra Alastor, & Megæra Alastoris.*

## PARODIA IV. EIVSDEM IVLII CAESARIS SCALIGERI, ex Archilocho eiusdem.

### In Vidorem, qui ex pharmacario factus erat clinicus.

*MAranus ille, quem fugastis hospites,*
*Ait fuisse pinsitor nigerrimus:*
*Neque ullius retinnuli globum cavi*
*Nequisse personare: sive Barbarum*
*Opus foret rotare, sive Agaricum.*
*Neque hoc negat proterva turba Pessuli*
*Negare, patris atque Sabbatarij.*

Vbi

*Vbi malus Maranus atra ſordium*
*Patente dicit expuliſſe ligula*
*Recocta mella: nequa ſpuma fervida,*
*Sonánſve bulla ſibilum ederet fuga.*
*Gelata Francia & calens Provincia,*
*Tibi hæc fuiſſe & eſſe cognitiſsima*
*Ait Maranus: ultima ex origine*
*Tua in ſenacula intuliſſe Galbana.*
*Et inde erogata per viatica*
*Famem tuliſſe: læva ſive dextera*
*Cibum rogare, ſive utrimque cæperat.*
*Neque ulla vota pharmacalibus Deis*
*Sibi eſſe facta. nam vetabat improbi*
*Reſecta poſtha patris ex origine.*
*Sed hæc prius fuere. nunc Galenica*
*Cacátque ſede, ſéque devovet tibi*
*Marane Vidor, & Marane Vidoris.*

PARODIA V. IOSEPHI SCALIGERI, IVLII CAESARIS F. ex Parodijs moralibus H. Stephani.

*MAgirus ille, quem videtis hoſpites,*
*Ait fuiſſe litigator optimus.*
*Neque ullius tribunal arduum fori*
*Nequiſſe perſonare, ſive legibus*

*Opus foret latrare, ſive iurgijs.*
*Et hoc negat ſevera Nittiobrigum*
*Negare ſepta, Vaſconúmque curias,*
*Aginnum inane, Condomúmque inhoſpitum,*
*Lemovicas, trucéſque Petracorios:*
*Vbi iſte pòſt magirus, antea fuit*
*Laverna iuris: & patronus in foro*
*Loquente ſæpe voce prodidit reos.*
*Cadurce rabula, & Toloſa contumax,*
*Tibi hæc fuiſſe & eſſe cognitiſſima*
*Ait magirus. ultima ex origine*
*Tuis crepaſſe iura dicit in ſcholis,*
*Tua intonaſſe legibus ſedilia.*
*Et inde ſurda per tot urbium fora*
*Stipem extudiſſe, læva ſive dextera*
*Rogaret æra, ſive utramque pluſcula*
*Pecunia gravaret improbus manum.*
*Neque ulla vota curialibus Deis*
*Sibi eſſe facta, cùm rediret à foro*
*Onuſtus ære aduſque propriam domum.*
*Sed hæc prius fuère: nunc cibaria*
*Ligurit uncta, ſéque dedicat tibi*
*Culina dives, & culina divitis.*

PARO-

# PARODIA VI. IANI LERNVTII, EX LIB. OCELLORVM eiusdem, carm. XXV.

*Ocellus ille, quem cano, Dei alitis*
*Ait fuisse nidus unus unicus:*
*Neque ullius lepori amabilis nurus*
*Nequîsse prænitere, sive serijs*
*Opus foret vacare, sive lusibus.*
*Et hoc negat Lycænidis malè æmulæ*
*Negare frontem, & auream Critheidem,*
*Plocénque nobilem, AEliámque cæsiam,*
*Glyconida speclúmque Belgij Antherin:*
*Vbi iste, post-ocellus, anteà fuit*
*Serena stella. namque in orbe lacteo*
*Micante sæpe lumen extulit face.*
*Tabuda magne, túque ductor Hespere,*
*Tibi hæc fuisse & esse cognitissima*
*Ocellus inquit: ultima ex origine*
*Choros stetisse dicit inter astricos:*
*Tuo ustulasse te tuósque in æquore:*
*Et inde tot per invidentium greges*
*Decus tulisse; dura, sive mollia*
*Moveret arma, sive mallet Aliger*
*Simul protervus abdere utraque in iecur.*
*Neque ulla vota amasionibus Dijs*

*Sibi*

*Sibi esse facta, cùm veniret à domo*
*Iovis superbi adusque candidum hunc diem.*
*Sed hæc prius fuere. nunc Dioneo*
*Cluitque honore, séque dedicat tibi*
*Cupido Amoris, atque Amor Cupidinis.*

## PARODIA VII. PAVLI MELISSI SCHEDII, EX LIB. SCHEDIASMAtum poëticorum ejusdem.

*Colonus ille, quem videtis incolæ,*
*Ait fuisse miles impigerrimus,*
*Neque ullius volantis impetum globi*
*Nequisse sustinere, sive in humido*
*Opus foret coire, sive in arido.*
*Et hoc negat triumphum agentis Adriæ*
*Negare littus, extimósve Cyprios,*
*Hetruriámve, & inclytam Neapolim,*
*Liburniam, sinúmve Cretici maris:*
*Vbi iste, pòst colonus, agminis fuit*
*Tribunus antè. nam cohorte in hostium*
*Canente mille vulnera edidit tuba.*
*Ibere ductor, & Columna lauriger,*
*Tibi hæc fuisse & esse cognitißima*
*Ait colonus. horrida crepidine*
*Tuos stetisse dicit inter ordines,*
*Rubro imbuisse vasta sanguine æquora.*

*Et inde tot per expatrata prælia*
*Manum tulisse, læva sive dextera*
*Vocaret ala, sive utrumque Thrax ferox*
*Simul phalangas impulisset ad latus.*
*Neque ulla vota Martialibus Deis*
*Sibi esse facta, cùm rediret à mari*
*Lepanthico hunc adusque Francicum Salim.*
*Sed hæc prius fuere. nunc colit juga,*
*Serit novale, séque dedicat tibi*
*Amice Liber, atque amica Liberi.*

## PARODIA VIII. IOANNIS MATTHAEI TOSCANI, EX LIB. poëmatum eiusdem.

### In Atimum.

*ATimus ille, quem videtis, hospitum*
*Ait fuisse proxenos sacerrimus:*
*Neque ullius latronis improbas manus*
*Nequîsse præterire, sive per diem*
*Opus sit harpagare, sive noctibus.*
*Et hoc negat tui accolas Avenio*
*Negare pontis, & fluenta Rhodani,*
*Lotúmque flumen, horridos Lemovicas,*
*Trucem utriusque Gallici & sinum freti:*
*Vbi iste, pòst disertus, anteà fuit*

Scholæ magiſter: atque candidas ſuper
Nates calente ſibilum edidit flagro.
Vadoſe Sequana & frequens Lutetia,
Tibi hæc fuiſſe & eſſe cognitiſsima
Refert Atimus. ultima ex origine
Tua inquit ampla permeaſſe pulpita,
Tuíſque pectus imbuiſſe dogmatis:
Et inde mentis impotentia ſcholæ
Dediſſe iura, læva ſiue dextera
Rogaret æra, ſive utramque nummulis
Crumena dives incidiſſet in manum.
Neque ulla vota plagiarijs Dijs
Sibi eſſe facta, venit ut Lutetia
Noviſsima hunc aduſque turbidum Lotum.
Sed hæc prius fuêre: nunc libidine
Calet furente, ſêque dedicat tibi
Amica fœtida, atque amica fœtidi.

## PARODIA IX. SIXTI OCTAVIANI.

TRicongio ille ventrioſus, & niger,
Ait fuiſſe potor omnium optimus;
Neque ullius Tryphonis œnopolium
Nequiſſe præterire, ſive patrium
Sitiret ore hiante, ſive Francicum.
Et hoc negat Riæ fluenta nobilis

Negare tarda, Grudiúmque Diliam,
Citúmque Scaldin, & sacri accolas Mosæ,
Inérsque Rheni in urbe Leidia ostium:
Vbi iste, pòst Tricongio, antè rabula
Fuit nefastus, atque iuris arbiter
Sibi ipse visus exuit bonos bonis.
Colonia hospita, & Duacum amabile,
Tibi hæc fuisse & esse cognitissima
Ait Tricongio: Hybrida ex origine
Tuos vorasse dicit ille convenas,
Tua obruisse crapulis cubilia.
Et inde tot per helluáta nomina
Fugam apparâsse, sive fraude pessima
Sacrum hospitale, sive fænori datam
Fidem eierare, sive utrumque pergeret.
Neque ulla vota Compitalibus Dijs
Sibi esse facta, cùm protervia sua
Redîsse rem videret usque ad incitás.
Sed hæc prius fuere: nunc viatica
Nova ambit arte, séque mancipat tibi
Taberna libera, & taberna Liberi.

## PARODIA X. EIVSDEM.

LAvernio ille, fronte perdita impudens,
Ait fuisse fellis improbissima:
Neque ullius tagacis impetum manus

Ne-

*Nequisse præterire, sive clam dolo*
*Opus foret valere, sive vi palam.*
*Et hoc negat Larem negare patrium,*
*Scholásque in urbe patria, & Librarias,*
*Duacum amœnum & efferos Leodios,*
*Batavicóque Lugodunum in æquore:*
*Vbi iste, pòst Lavernio, anteà fuit*
*Salax subactor, atque masculo haud mari*
*Rigente sæpe nucleum impulit pede.*
*Athana Pontica, & pium Lovanium,*
*Tibi hæc fuisse & esse cognitissima*
*Ait Lavernio: Hybrida ex origine*
*Tuos fatetur inforasse liberos,*
*Tuíque civis involâsse scrinia:*
*Et inde tot per expatrata crimina*
*Manum inquinasse, sive ab arte Musica*
*Venire in ora, sive ab ære non suo*
*Famem fugare, sive utrumque quæreret.*
*Neque ulla vota Fornicalibus Dijs*
*Sibi esse facta, cùm domo exsul & solo*
*Paterno iniret hospitam Coloniam.*
*Sed hæc prius fuere: nunc in extero*
*Vagatur orbe, séque devovet tibi*
*Celæno adultera, & rapax Cicinnia.*

# PARODIA XI. EIVSDEM.

## In Caniculam Iusti Lipsij, de qua Epistolicarum quæstionum lib. III. epist. V.

*MElissa, Lipsij illa mel merum & dolor,*
*Ait fuisse maxima optima indole;*
*Neque ullius clientis assecla fidem*
*Nequisse præterire, sive herum domi*
*Opus foret manere, seu sequi foris.*
*Et hoc negat Britanna ab insula advenam*
*Negare Lachnam, Hyberniúmque Lælapa,*
*Thoúmque mobilem, hispidúmque Pæmenin,*
*Melampoda, gregísque Grudij Asbolon.*
*Vbi ista pòst Melissa, sidus antea*
*Fuit salubre: nam Leonis asperi*
*Flagella sæpe mitigavit ignea.*
*Perennis Isca, túque Mera pervigil,*
*Tibi hæc fuisse & esse cognitissima*
*Ait Melissa: principe ex origine*
*Tuæ inquit emicasse virginis sinu,*
*Tuíque vatis excubasse in hortulis:*
*Et inde tot per æqua iniqua, herilia*
*Obisse iussa, voce, sive numine*
*Catam monere, sive utroque ad omnia*
*Iocosa, seria, incitare cœperat.*
*Neque ulla vota sideralibus Dijs*

*Sibi esse facta, cùm rediret impio*
*Abacta furi adusque patrium polum.*
*Sed hæc prius fuere: nunc heri & sua*
*Micátque luce, séque dedicat tibi*
*Propinque Orion & propinque Orionis.*

## SIXTI OCTAVIANI AD PHASELUM CATULLI ET PARODIAS NOTÆ.

FEcit admiratio Catulli, poëtæ non tam communi nomine quàm re vera doctissimi, quicquid sentiant alij qui contrà sentiunt; ut propter voluptatem, quam ex hoc etiam poëmatio singularem capiebamus, in mentem nobis venerit, alios omnes, qui & olim & hodie idipsum imitari summa ingenij contentione sunt conati, in unum quasi fascem colligere, eosdémque inter se mutuò componere. Quæ voluptas cùm liberalibus ingenijs maximè sit digna, neque inutilis ijs qui ad veram ac rectam imitandi rationem adspirant; libuit nonnulla, quæ præter aliorum inuenta eôdem annotavimus, in commune cõferre. Ea opella qualis qualis est, non ingrata fortassis ijs erit, qui nos, citra acerbitatem, facilè videbunt mero animi candore usos esse, & rem ex re ubique exputasse. Si fallimur, homines enim sumus: sola certè rei novitas spem nobis facit futurum, ut eundem animi candorem ab alijs vicissim impetremus.

*Phaselus ille.* Scripsisse videtur hoc carmen occasione reditus sui è Bithynia provincia, cujus profectionis frequens in toto opere fit mentio.

*minacis Adriatici.* Hæc vasta sunt æquora, sive, ut ea nominat mox, impotentia freta, per quæ vectum sese alibi dicit ad fratris sui inferias. quæ eodem ferè ordine in exsilium iens Ovidius recenset lib. I. Tristium, eleg. IX.

*Amastri Pontica & Cytore buxifer.* Duos adducit testes, unum quid anteà exstiterit; alterum, quid postea porrò fuerit. itaque Amastris Pontica testificatur phaselum suum æquor imbuisse;

Cytorus

Cytorus buxifer comatam silvam in suo jugo seu cacumine stetisse. Hæc ideo annoto quòd qui istos Catulli versus certatim imitati sunt, paucissimi hanc testium varietatem & decussatum quodam modo ordinem expressisse videantur, ne ille quidem optimus interpres. Amastrim Ponticam vocat, eique suum æquor attribuit, quòd in peninsula sita fuerit, geminóque portu ambiretur: è quorum altero fortasse hæc phaselus primùm solvit, posteà quàm desijt esse silva. Strab. lib. XII. Geographiæ: Μετὰ δὴ τὸν Παρθένιον ποταμὸν ἐστὶν Ἄμαστρις ὁμώνυμος τῆς συνῳκικυίας πόλις. ἵδρυται δὲ ὑπὲρ χερρονήσου λιμένας ἐχούσα τοῦ ἰσθμοῦ ἑκατέρωθεν. & mox, πλείστη δὲ καὶ ἀρίστη πύξος φύεται κατὰ τὴν Ἀμαστριανὴν, καὶ μάλιστα περὶ τὸ κύτωρον.

*Litoralibus Dijs.* Generis vocabulo utitur, omnes Deos ἀρχαιναύτας, sive, qui navigantibus præsunt, designante. quod tamen ex votorũ ratione paullo pòst de Tyndaridis solis intelligi vult. quorum solennem precem commemorat itidem elegia ad Manlium. Neque aliter sanè omnis antiquitas. Homerus hymno εἰς διοσκούρους:

Σωτῆρας τέκε παῖδας ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Ὠκυπόρων τε νεῶν, ὅτε τε σπέρχωσιν ἄελλαι
Χειμέριαι κατὰ πόντον ἀμείλιχον, &c.

Sic & Euripides in Oreste, Pindarus in Pythijs, Theocritus εἰς διοσκούρους, Horat. lib. I. Carm. ode XII. Et Ovidius Tristium lib. I. eleg. X. *Vos quoque Tyndaridæ &c.*

*Vos facite ut ventos, loca cùm diversa petamus,*
*Illa suos habeat, nec minus ista suos.*

Quare sæpenumero miratus sum, cùm Catullus eadem illa vota, quæ facta nondum esse dicit, tandem perficiat; cur plerique alij sua duplicarint, & Dijs diversissimis illa quidem negēt persoluta, hæc verò persolvant.

*Senet quiete.* Quod de illo qui versus in Sabinum fecit, hoc loco notat Achill. Statius, parum illo dignum est. aliud enim est senium hujus phaseli, aliud sella curulis, aliud denique sedes navium in sua statione. Quæ verò ex Prisciano idem adducit; ea in duobus optimis manuscriptis sic lego: Catullus: *Sed hæc fuere: nunc recondita senet quiete.* Senesco enim inchoativum. Sallustius in IIII. Historiarum: *Omnes quibus*, &c. quæ verba sic

accipio, ut Priscianus exemplo Catullino ostendat verbũ Seneo itidem in usu esse, ut Senesco: ab eoque deduci participium Senectus: quod alius quis non à Seneo, sed à Senesco deformasset.

# IN PARODIAM I.

SAbinus ille. Qui primi hanc Parodiam in Ventidium Bassum scriptam esse voluerunt, nihil falluntur. omnia enim quæ de illo prodita hodie legimus, eôdem conspirãt. De auctore utinam nobis æquè constaret. Verisimile quidem est, eum qui Maronis catalecta collegit, putasse omnino Virgilio esse asscribendam. Verum accurata illa diligentia, elegantiaque ingenij, quæ in Virgilij Bucolicis perspicuè ubique elucet, ut ingenuè loquamur, videtur hic interdum posse desiderari. Rem videamus. Si consarcinatoribus vitæ Maronianæ, &, qui hîc illorum instar est, Focæ Grammatico fidem habemus;

*Consule Pompeio vitalibus editus auris*
*Et Crasso tetigit terram Maro.*

Hoc est, anno ab urb. cond. DCXXCIII. Ventidius autem Bassus à Cæsare in XVI. prætoribus adlectus est ann. ab urb. cõd. DCCIX. & anno DCCX. in Q. Pedij mortui locum suffectus consul. quo tempore agebat jam Virgilius ætatis annum XXVII & XXVIII. Quoniam verò proximum sequentem annum excepit bellum Philippense, & in tertium sequentem, id est, annum ab urb. cond. DCCXIII. incidit Consulatus C. Asinij Pollionis, quæ bucolicorum ferè occasio sunt & argumentum: vero non est dissimile, aut verum potius, quæ eadem vigescente ætate à Virgilio edita, & cum amicis communicata sunt, non posse ab ingenua elegantia ac diligentia bucolici operis longiter abesse. Neque enim temerè aut falsò de hac ipsius ætate idem Focas.

*Tum tibi Scironem, Maro, contulit ipsa magistrum*
*Roma potens, procerésque suos tibi iunxit amicos.*
*Pollio Mæcenas, Varius, Cornelius ardent,*
*Et sibi quisque rapit, per te victurus in ævum.*

*Sive Mantuam op. f. v. s. Brixiam.* Vnicè mihi videtur studio habuisse ut mulioniam Ventidij ex ipsa rei veræ historia vulgo redderet notissimam. Id nisi esset, quid Mantua & Brixia facerent ad mulionis celeritatem? quæ in phaselo sine palmulis & linteo

linteo constare non potest. Huc accedit peculiare hoc fuisse tanto viro, ut quoties alium imitatur, siquid ab eodem evariet, ejus loco quidquam aliud aut par aut melius à se substituat. quod verò hîc affertur, non solùm deterioris est ingenij, sed etiã inopis. Brixia enim, Mantua, & Cremona, cùm in Gallia sitæ sint, neque longis spatijs distent; nullos adducit testes, quibus credamus Bassum per tot orbitosa millia jugum tulisse.

*Bidente dicit attondisse.* Ioannes Livineius utriusque linguæ adprimè peritus conijcit hîc legendum, *Attotonse*, ut testatur caput v. lib. III. Antiquarum lectionum boni illius Viri, qui ut Catullum inquinaret, manu sinistra non belle est usus.

*Sive utrumque cœperat.* Ita vulgo legimus: pro quo quidam Vtrinque non veriti sunt edere. Audio etiam esse doctissimos viros, qui post hunc versum putent alterum desiderari, hoc vel simili sensu, —— *sive utrumque cœperat*

*Et hac & illa conquiescere in latus.*

Quod monere etiam videtur sententia ac numerus versuum Catulli, quos sibi auctor exprimendos proponit. Nisi fortasse suspicari libeat, scribendum, utráque, media longa. quod Ausonium & alios nullo exemplo ausos fuisse vix est vt credam. Alioquin ex coniectura non incommodè legi posset, — *sive utræque cœperant.*

*propter hoc novissimum: Paterna lora.* Interpretatio eruditissimi Iosephi Scaligeri proximè ad vërba & sententiam accedit. Verendum tamen, ne quid aliud lateat. difficulter enim ex ijs verbis talem sensum elicias.

*Seque dedicat tibi Gemelle Castor.* primùm non sunt hi Dij Semitales: deinde, quid Mulioni, qui toto hoc poëmatio descriptus est, cum Castore & Polluce ut sese illis dedicet? quare dupliciter hic ab archetypo recessum est. Et profectò de industria atque ex rei veritate, ita voluisse auctorem, vero verius est. Mulio igitur Semitalibus Dijs suis paterna lora & proximum sive ploximum pectinem V. S. L. M. Prætor & Consul Dijs Quiritibus, & nominatim Castori & Polluci gemellis seipsum dedicat. Magistratus enim Romanus in sacrificijs publicis, inter alios Deos, quorum pulvinaria de solenni more venerabãtur, solebant *Et Pollucis equum suffire ardentibus extis.*

Vt enim ille canit, de Romæ Aeternæ & Veneris ad viam Sacram delubro loquens,

*Illic Alcides spoliatis Gadibus hospes*
*Arcadiæ fulvo ære riget: Gemini quoque fratres*
*Corrupta de matre nothi, Ledæia proles*
*Nocturnique equites, celsæ duo Numina Romæ.*

Et Horatius in illa verè Heroica ode XII. lib. I. Augustum Iovi alijsque Romanorum Dijs compositurus, non temerè hos ipsos inter Herculem & Romulum medios recenset. Sed nimius sum hac in re, cùm in numismatibus Conss. Romanorum fratrum istorum effigie cum adjectione nominis *Romæ*, nihil sit vulgatius.

# IN PARODIAM II.

L*ibellus ille.* Ex ijs, qui hoc nostro seculo in hac ludicra exercitatione versari cœperunt, proximè ad structuram & formam Phaseli Catulliani accessit Georgius Anselmus, poëta vulgo hodie rarus, & raræ item eruditionis. Qui tamen ingenio efficere non potuit, quin relinqueret nonnulla digna animadversione.

*Ait voluminum fuisse maximus.* Malim, *Ait fuisse maximus voluminum*, vel caussa solius incisionis, quam & hic ipse alibi, & alij ferè hac ætate poëtæ aut negligunt, aut non intelligunt.

*Neque ullius canentis impetus fidis.* Sonorum magis esset, impetum. quamvis id leve. illud non leve, & vix video an ferri possit, quòd ad fidem aptaverit omne carminis genus, præsertim Maronianum. fistulæ enim & classici ad fidem quæ cōparatio? quæ non ad speciem, sed ad genus ipsum erat referenda.

*Vatibusque claram Achaidem.* Si propriè Achaiam intelligit, videndum quibus vatibus ea sit clara. si Græciam totam; cur aquas Sisyphias, Rhodum, & Sicana saxa inde subjungit, veluti disjungenda?

*Lycææ pinifer, &c. Tuo stetisse dicit in cacumine.* Quod bona venia boni poëtæ dictum sit; non ut comata silva in buxiferi Cytori stetit jugo, sic amica Deorum seu divina Delfici specus vox in Lycæi piniferi cacumine potuit stetisse. Aut si studio variare voluit; quid de Delfico specu testari potest Lycæus mons?

*Phrygas tulisse.* Suum est, & ab exemplari diversum, sed ingeniosum.

*Læva sive dextera.* Nisi imperfectum opus Æneidos velit innuere;

innuere; quid velit, non intelligo. Atque ut hoc ipsum voluerit, illud mehercule quod sequitur, *sive utramque Pythius simul secundus incidisset in manum*, non à Pythio est.

*Provehentibus Diis.* Exile hoc quidem: superat tamen multorum imitationem, uti & reliqua.

## IN PARODIAM IV.

*MAranus ille.* Video quæ nos de liberiore illa parodia in Vetidium modò annotavimus, à maximo viro I. Cęsare Scaligero partim comprobari. Cùm enim Doletum suum ex Valerij phaselo antè edolasset, hîc in Marano suo depingendo maluit expressam aliunde delineationem sibi proponere, ipsamque parodiam *παρωδεῖν.*

*Séque devovet tibi Marane Victor.* Amara irrisio. quem enim verè Epicurêum esse sciebat, & sibi non Dijs vivere, sibi ipsi eundem devovet.

## IN PARODIAM VII.

*COlonus ille.* Vt in describenda phaselo sua totum ferè carmẽ Catullus consumit; sic & in hac parodia, si modò illius vera adumbratio est, Colonus unicè ac præ ceteris describendus erat, saltem usque ad transitionem illam *Sed hæc prius fuere.* At contrà, hactenus de Colono verbum nullum: de milite omnia. Restat igitur ut hoc parodiæ genus ipsius auctoris æmulatione, ac propriæ artis elegantia potius se tueatur, quàm Catulli imitatione.

*Sive in humido Opus foret coire, sive in arido.* Hoc voluit, sive mari, sive terra. quod etsi non satis feliciter expresserit; in eadem tamen distributione explicanda ordinem Catulli non infeliciter servavit ibi, Horrida crepidine Tuos stetisse dicit inter ordines, &c. Reliqua ipsi sua sunt, elegantia ac nitore optimis non inferiora.

## IN PARODIA VIII.

*ATimus ille.* Hic à Catullo longissimè omnium abscessit. eundem enim facit proxenetam, latronem, harpagatorem, disertum, ludimagistrum, & libidinosum.

*præterire.* Si quod dicendum erat, dicere voluit, Latinū non est. si quod verba significat, non capio quid dicat.

*Opus sit.* coactum est, uti & illud, sive per diem, sive noctibus.

*tui accolas Avenio.* Apostrophe est sine exemplo, neque ea si voluisset, hîc erat opus. Sed mitto illud. quæso, quorsum hæc congeries? quid probat singulare è tam multis? furtáne illius? at insequentia de ijs nihil: tantùm ludimagistrum fuisse. profectò centonem inconditum videor mihi legere, non parodiam.

*Fluenta Rhodani.* Rapidior est fluvius, quàm ut contra naturam prima syllaba tam lentè debeat produci.

*Horridos Lemovicas.* copula hîc omissa versu sequenti abstrusa est.

*pôst disertus.* fortasse mēdum typographi, pro illo, *pôst Atimus.*

*Scholæ magister.* Oblitus est quid fuerit. tam multus fuit: nimirum proxenetą & latro. quorum alterutrum sequentibus versibus fusius erat explicandum.

*Vadose Sequana & frequens Lutecia.* Dupliciter impingit. nam hi duo testes unū modò efficiunt, & de uno tantùm possunt testari; cùm duo adhibendi fuerint, de rebus diversissimis testaturi.

*Permeasse pulpita.* Noua phrasis & præter naturam.

*Tuisque pectus.* Idem error ex superiore natus.

*Læva sive dextera.* Aliena rectè inventa suo more facit sua, hoc est, deteriora. Mirandum sanè, hominem, qui Aurato usus est præceptore, & tanto studio duos tomos Italicorum poëmatum legit hinc inde, & collegit, quidquam tam insubidum ipsoque indignum, elegantissimis monumentis ac verè delicijs nostri seculi inseruisse.

## IN PARODIAM IX.

NEque ullius Tryphonis œnopolium Nequisse. Antiquo more duæ negationes magis negant. de quo vide M. Antonij Mureti annotationes ad Catulli locum, qui isti respondet.

## AD LECTOREM.

Quia cœpimus, libuit alia quædam ejusdem planè generis subijcere; quæ, si priora placuerunt, non poterunt etiam displicere.

# CATVLLI CARM. LIV.

*PVlchrè convenit improbis cinædis,*
*Mamurræ pathicóque, Cæsaríque.*
*Nec mirum: maculæ pares utrisque,*
*Vrbana altera, & illa Formiana,*
*Impressæ resident, nec eluentur.*
*Morbosi pariter, gemelli utrique,*
*Vno in ludulo erudituli ambo.*
*Non hic, quàm ille, magis vorax adulter,*
*Rivales socij puellularum.*
*Pulchrè convenit improbis cinædis.*

## AD IDEM CARM. PARODIA IVLII CAESARIS SCALIGERI De Picato & Ipnio.

*PVlchrè convenit hispidis molossis,*
*Ipnio rabidóque, Pittióque.*
*Ambo in ordine ineruditi eodem:*
*Ambo carnifices periculosi.*
*Vter perniciosiórne? Vterque.*
*Ille est pestis acerba veritatis,*
*Hic fomes, pater, auctor, educator*
*Morborum omnium & ægritudinum omnium.*
*Pulchrè convenit inuidis molossis.*

# ALIA, MICHAELIS TARCHANIOTAE MARVLLI, EX EPIGRAM. lib III. ejusdem.

## De se & Cosmo Pactio.

*PVlchrè convenit optimis amicis*
*Marullo profugóque, Pactióque.*
*Nec mirum, pariles ruinæ utrisque,*
*Vrbana altera, & illa Fesulana.*
*Confecti resident, nec elevantur:*
*Insontes pariter, miselli utrique*
*Vno in exsilio educatuli ambo,*
*Non hic, quàm ille, minus vorax amari,*
*Concordes comites novem sororum.*
*Pulchrè convenit optimis amicis.*

## CATVLLI CARM. III.

*LVgete, ô Veneres, Cupidinésque,*
*Et quantum est hominum venustiorum.*
*Passer mortuus est meæ puellæ,*
*Passer deliciæ meæ puellæ,*
*Nam mellitus erat, suámque norat*
*Ipsa tam bene quàm puella matrem,*
*Nec sese à gremio illius movebat:*
*Sed circumsiliens modò huc, modò illuc,*
*Ad solam dominam usque pipilabat.*

*Qui nunc it per iter tenebricosum,*
*Illuc unde negant redire quenquam.*
*At vobis malè sit malæ tenebræ*
*Orci, quæ omnia bella devoratis:*
*Tam bellum mihi passerem abstulistis.*
*O factum malè! ô malæ tenebræ!*
*Vestra nunc opera, meæ puellæ*
*Flendo turgiduli rubent ocelli.*

## AD IDEM CARM. PARODIA GEORGII ANSELMI NEPOTIS, ex epigram. lib. I. ejusdem.

### In Octaviam Anselmam filiam.

*FLete Sentiades meæ, & meorum*
*Cum fletu comites dolorum adeste.*
*Nostra Octaviola, illa nostra, nondum*
*Heu heu messibus en tribus peractis*
*Communes abiit misella in oras,*
*Negant unde pedem referre quenquam.*
*Flete Sentiades meæ, & meorum*
*Cum fletu comites dolorum adeste.*
*Nam mellitula erat puella, & ultrò*
*Ad suum properabat ipsa patrem.*
*Circumpendulàque hinc modò, & modò inde*
*In sinu illius usque garriebat.*

*At, vobis malè sit malæ astra, quæ astra*
*Tam bellam mihi filiam abstulistis.*
*O fatum grave, ô scelesta Clotho,*
*Tua sævitia mi uterque ocellus*
*Madens assiduo liquescit imbre.*

## ALIA PARODIA HENRICI STEPHANI, DE MORTE EBRIOSISsimi cujusdam juvenis, ex parodijs moralibus ejusdem.

*LVgete ô calices capedinésque,*
*Et quantum est hominum bibaciorum.*
*Vester mortuus est sodalis ille,*
*Quem plus quisque oculis suis amabat.*
*Nam rex vester erat, suúmque norat*
*Bacchum tam bene quàm puella matrem.*
*Nec sese à Bromio suo movebat;*
*Sed circumspiciens modò huc, modò illuc,*
*Ad sola illius arma gestiebat.*
*Qui nunc it per iter siticulosum,*
*Illuc, vina negant ubi videri.*
*At vobis bene sit bonæ tenebræ*
*Orci, quæ hæc citò monstra devoratis:*
*Tam fœdum barathrum meri abstulistis.*
*O factum bene! ô bonæ tenebræ!*
*Vestra nunc opera, improbo biboni*
*Vini pernicie haud rubent ocelli.*

## ALIA VICTORIS GISELINI.

*FLete litterulæ meæ, atque amores*
*Mecum flete mei novem sororum.*
*Thesaurus meus ille epistolaris,*
*Tuus Douza, Thori, Frutere, Lipsi,*
*Lernuti tuus, & tuus Fabrici,*
*Et Becane tuus, tuúsque Langi,*
*Et quantum est hominum venustiorum,*
*Vester & meus ille Apollinaris*
*Thesaurus periJt mihi atque vobis:*
*Qui fundis mihi agellulísque avitis*
*Esse carior omnibus solebat.*
*Nam plenus fuit & sale & lepore,*
*Nováque & veteri eruditione.*
*Nec unquam ex oculis meis aberrans,*
*In mentem subitò modò hos, modò illos,*
*In mentem modò vos vocabat omnes.*
*Qui nunc perditus & malè & malignè*
*Impuris latet abditus tenebris;*
*Nec spes ulla domum videre herilem.*
*At vobis malè sit manus sinistra,*
*Signata est quibus arca nulla amici,*
*Est nulla hospitis, hostis arca nulla.*
*Thesaurum mihi tam bonum abstulistis.*
*O factum impium, ô impiæ sinistræ!*
*Vestra nunc opera & mala & maligna*

Lan-

*Languent litterulæ meæ, atque amores*
*Languent mecum itidem novem sororum.*

Adijciam duas alias, liberiores illas quidem, & haud scio an parodias; sed ejusdem tamen argumenti cum Passere Catulli.

## ANDREÆ NAVGERII.

*Borgettus lepidus catellus ille,*
*Cuius blandicias proterviores,*
*Et lusus herus ipse tantum amabat,*
*Quantum tale aliquid potest amari:*
*Nec mirum, dominum suum ipse norat,*
*Caram bima velut puella matrem,*
*Et nunc illius in sinu latebat,*
*Nunc blandè assiliebat huc & illuc*
*Ludens, atque avido appetebat ore,*
*Erectis modò cruribus, bipésque,*
*Mensæ adstabat herili, heróque ab ipsò*
*Latratu tenero cibum petebat:*
*Nunc raptus rapido, malóque fato*
*Ad Manes abijt tenebricosos.*
*Miselle ô canis, ô miser catelle,*
*Nigras parvulus ut timebis umbras!*
*Vt sæpe & dominum tuum requires!*
*Cui pro delicijs iocísque longum*
*Heu desiderium tui relinquis.*

CA-

*Catella sima simuli catelli*
*Coniux sorórque, cúmque quo solebas*
*Vna excubare, unáque canitando*
*Sine lite cernere ossa mensæ herilis,*
*Tum ludere inter vos, vagóque cursu*
*Nunc recta, nunc obliqua, nunc in orbem*
*Industriosè prælia excitare:*
*Modò tu prehendi aut dejici, modò ille,*
*Rursum explicari vi vel arte luctæ:*
*Quàm sæpe tanquam percitus stupénsque*
*Tenebar hacce velitatione!*
*Stantésque plexis dum simul lacertis,*
*Stratósve dum videbam acerbùm & acrè*
*Demurmurantes ore morsicatim*
*Perstringere os, sed innocente rictu.*
*Itán repentè deseris sodalem?*
*Itán maritum? & sola te sub altas*
*Condis tenebras, nulli ubi voluptas,*
*Ludúsque nullus, nulli erunt amores?*
*Cùm Stygius ille tristis, invenustus*
*Custos tenellas obtonabit aures;*
*Quàm sæpe voce genniens anhela*
*Desiderabis esse & excubare*
*Catella misera cum tuo catello!*
*Quàm sæpe viduus ipse præliari*
*Desiderabit cum sua catella!*

Q. HO.

# Q. HORATII FLACCI ODE IX. LIB. III. CARM.

## Ad Lydiam.

### Horatius.

*Donec gratus eram tibi,*
*Nec quisquam potior brachia candida*
*Ceruici iuvenis dabat:*
*Persarum vigui rege beatior.*

### Lydia.

*Donec non alia magis*
*Arsisti, neque erat Lydia post Chloën:*
*Multi Lydia nominis*
*Romana vigui clarior Ilia.*

### Horatius.

*Me nunc Thressa Chloë regit,*
*Dulces docta modos, & citharæ sciens:*
*Pro qua non metuam mori,*
*Si parcent animæ fata superstiti.*

### Lydia.

*Me torret face mutua*
*Thurini Calais filius Ornithi:*
*Pro quo bis patiar mori,*
*Si parcent puero fata superstiti.*

### Horatius.

*Quid si prisca redit Venus,*
*Diductósque iugo cogit aheneo?*

Si

*Si flava excutitur Chloë,*
*Reiectaque patet ianua Lydiæ?*

Lydia.

*Quanquam sidere pulchrior*
*Ille est, tu levior cortice, & improbo*
*Iracundior Adria:*
*Tecum vivere amem, tecum obeam libens.*

## AD EANDEM ODAM PARODIA LVCII FRVTERII.

### Ex libro II. Silvarum Iani Douzæ à Noortvvijck.

Fruterius.

D*Onec carus ero tibi,*
*Nec quisquam Genij munera Douzici*
*Maiori obsequio colet,*
*Vivam Cæsarea sorte beatior.*

Douza.

*Donec Fruterius mihi*
*Det notas animi delicias sui,*
*Me non alterius trahet*
*Ignotúsque novúsque in sua iura amor.*

Fruterius.

*Me multorum animi favor*
*Adstrictum vigili præsidio tenet,*

*Pro queis ultima perpeti*
*Sit desiderij, certa fides mei.*

Douza.

*Et me multus amor sibi*
*Addictum valida compede detinet,*
*Pro quo bis peream libens,*
*Aeternísque animam devoveam ignibus.*

Fruterius.

*Quid si nil animo tui*
*Dulce est Fruterij, præter amabilem*
*Douzæi capitis fidem,*
*Mentísque ingeniíque ingenuas opes?*

Douza.

*Quamquam multus amor mihi*
*Instat, præsidiæ nescius improbæ,*
*Tecum dulce tamen mori,*
*Tecum vivere sit candide Fruteri.*

## Q. HORATII FLACCI
### ODE XXXV. LIB. I. CARM.

Ad Fortunam.

*O Diva, gratum quæ regis Antium,*
*Præsens vel imo tollere de gradu*
*Mortale corpus, vel superbos*
*Vertere funeribus triumphos:*

Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus: te dominam æquoris,
Quicunque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythæ,
Vrbésque, gentésque, & Latium ferox,
Regúmque matres Barbarorum, &
Purpurei metuunt tyranni:
Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam: neu populus frequens
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet: imperiúmque frangat.
Te semper anteit sæva Necessitas,
Clavos trabales & cuneos manu
Gestans ahena: nec severus
Vncus abest, liquidúmque plumbum:
Te Spes, & albo rara Fides colit
Velata panno: nec comitem abnegat,
Vtcumque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.
At vulgus infidum & meretrix retro
Perjura cedit: diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici,
Ferre jugum pariter dolosi.
Serves iturum Cæsarem in ultimos
Orbis Britannos, & juvenum recens

*Examen Eois timendum*
*Partibus, Oceanóque rubro.*
*Eheu cicatricum, & ſceleris pudet,*
*Fratrúmque. quid nos dura refugimus*
*Aetas? quid intactum nefaſti*
*Liquimus? unde manus iuventus*
*Metu Deorum continuit? quibus*
*Pepercit aris? ô utinam nova*
*Incude diffingas retuſum in*
*Maſſagetas Arabáſque ferrum.*

## EIVSDEM ODAE ADVMBRATIO IANI LERNVTII EX LIB. carminum ejuſdem.

### Ad bonam Valetudinem.

*O Diva, dites quæ colis inſulas,*
*Præſens ſalubri temperie genus*
*Curare noſtrum, ſpémque præſens*
*Ludere præcipitem Charontis:*
*Te veſte molli umbrata genas vocat*
*Ferox iuuentus: te ſenij unicum*
*Levamen ægri, quos ſenecta*
*Vi tacita attenuavit ætas.*
*Te cunctæ amicant ſollicitæ ſibi*
*Suíſque gentes: quáque oriens diem*

Illu-

Illustrat orbis, quáque pronus
Mergitur Hesperium sub æquor:
Formidolosa ne lue tabeat
Mortale seclum: neu populos frequens
Emissus Orco Lictor Orci
Vastet atrox, spoliétque luce.
Te mater ambit læta Lubentia,
Choròsque, Cantúsque, & Charites manu
Ductans amica; nec Voluptas
Candida abest, validúmque Robur.
Te Liber, & stirps Vraniæ aureus
Sectatur Hymen, nec latus abnegat,
Quocunque sub caelo caducam
Iapeti sobolem alma visis.
At Tussis impura, at mala febrium
Cohors facessit: diffugiunt pede
Tremente morbi, Mórsque fundo
Exsulat interiore Averni.
Serva cubantem Lipsium, & ultimam
Extende metam: neu patere abditæ
Antiquitatis occupatum
In studio ante diem fuisse.
Heu impiorum & nequitiæ pudet,
Avûmque. quid non barbara polluit
Ætas? quid intactum nepotes
Vidimus! unde stylum magister

*Inscitia effrons continuit? cui*
*Pepercit auctori? Hoc utinam caput*
*Orbi supersit: ille priscis*
*Restituet decus omne Musis.*

## AD LECTOREM.

EX notissimo illo P. Virgilij versu, *Cui non dictus Hylas?* satis constat argumentum illud amœnum sanè & varium, variè à plurimis eo seculo tractatum fuisse. Vt enim Argonauticon scriptores omittam, quibus ea fabula sive historia peculiaris est; etiam hodie exstant principum in utraque lingua poëtarum duæ elegantissimæ eclogæ, Theocriti dico & Propertij. Neque hac nostra ætate defuerunt qui eandem suis numeris & ingenij modo exsequi & expolire conati sunt. in his Iovianus Pontanus eam lib. v. Vraniæ inseruit & suis inventis suam fecit: & M. Antonius Flaminius cum Siculo poëta ita certare visus est, propè ut dubites, palmam cui deferas. Neque tamen utriusque exemplum Ioann. Baptistam Amaltheum deterruit, quin ex eadem imitatione laudem sibi & lauream pareret. Quod an illi re vera adsecuti sint, tuum Lector judicium facimus, & hoc non illepido, quamvis dissimili, argumento, libellum concludimus.

# EX SEX. AVRELII PROPERTII

## LIB. I.

### Ad Gallum.

*HOc pro continuo te Galle monemus amore,*
*Id tibi ne vacuo defluat ex animo.*
*Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti.*
*Crudelis Minyis duxerit Ascanius.*
*Est tibi non infra speciem, non nomine dispar*
*Thiodamanteo proximus ardor Hylæ.*
*Nunc tu sive leges umbrosæ flumina silvæ,*
*Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,*
*Sive gigantea spatiabere littoris ora,*
*Sive ubicunque vago fluminis hospitio,*
*Nympharum cupidas semper defende rapinas.*
*Non minor Ausoniis est amor in Dryadis.*
*Ne tibi sit durum montes & frigida saxa,*
*Galle, neque expertos semper adire lacus:*
*Quæ miser ignotis error perpessus in oris*
*Herculis indomito fleverat Ascanio.*
*Namque ferunt olim Pagasæ navalibus Argo*
*Egressam, longè Phasidos isse viam,*
*Et jam præteritis labentem Athamantidos undis,*
*Mysorum scopulis applicuisse ratem.*
*Hic manus heroum placidis ut constitit oris,*
*Mollia composita littora fronde tegit.*

At comes invicti iuvenis processerat ultra,
Raram sepositi quærere fontis aquam.
Hunc duo sectati fratres Aquilonia proles,
Hunc super & Zethes, hunc super & Calais,
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
Oscula & alterna ferre supina fuga.
Ille sub extrema pendens secluditur ala,
Et volucres ramo submovet insidias.
Iam Pandioniæ cesset genus Orithyiæ.
Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryas hinc.
Hic erat Arganti Phlegre sub vertice montis,
Grata domus nymphis humida Thyniacis.
Quam supra nulli pendebant debita curæ
Roscida desertis poma sub arboribus,
Et circum irriguo surgebant lilia prato
Candida purpureis mista papaveribus.
Quæ modò decerpens tenero pueriliter ungui,
Proposito florem prætulit officio,
Et modò formosis incumbens nescius undis,
Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis,
Innixus dextro plena trahens humero.
Cuius ut accensæ Dryades candore puellæ,
Miratæ solitos destituere choros;
Prolapsum leviter facili traxere liquore.
Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.

Cui

*Cui procul Alcides iterat responsa, sed illi*
*Nomen ab extremis fontibus aura refert.*
*His ô Galle tuos monitis servabis amores,*
*Formosum nymphis credere visus Hylam.*

## EX IVSTI LIPSII ANTIQVARVM LECTIONVM LIB. I. CAP. IV.

### Propertij elegia de raptu Hylæ. emaculata.

ELegiam de raptu Hylæ Propertius imitatione Græcorum conscripsit, elegantibus, Dij boni, & quasi papauere ac sesamo sparsis versibus. Eam placet à capite emendantem percurrere. Ac principiò, nunquam ille ipse Hylas tam anxiè quæsitus Herculi fuit, quàm mihi istorum versuum correctio,

*Nympharum cupidas semper defende rapinas,*
*Non minor Ausonijs est amor in Dryadis.*

Nam mendam inesse libri scripti clamabant, qui omnes consensu habebant, *est amor Adriacis*. Adde rationem linguæ Latinæ, quæ Dryadibus postulabat, non Dryadis. Vix tandem venit in mentem terminatione Græca Propertium scripsisse, *est amor & Dryasin.* quod mox pluribus docuero.

*Ne tibi sit durum montes & frigida saxa,*
*Galle, neque expertos semper adire lacus.*

Pugnat hæc lectio cum mente Propertij. Neque enim monuit Gallum ut montes & loca sola frequentaret; sed contrà, exemplo Herculis, ne locis solis Delicias suas concrederet, deterruit. Dissentiunt etiam libri, qui, *Ne tibi sint duri montes*, referunt. Sed scripsit haud dubiè poëta, Ne tibi sit duros montes. interpolarunt variè librarij quibus insolens erat genus illud dicendi, Ne tibi sit adire montes: id est, ne adieris. Geminum illud Tibulli, Ne tibi sit duros acuisse in pectora dẽtes. &, Tunc mihi non oculis sit timuisse meis. Item Propertij lib. III. Ne tibi sit rauco prætoria classica cornu Flere, nec Aonium cingere Marte nemus.

nemus. Quod autem iisdem illis versibus legitur, *& frigida saxa*, Mureti libro erat, *& turbida saxa*: in Vatican. *tumbida*. Scrib. fortè, *Tabida*, aut aliud verbum remotius.

*Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryas hinc.*

Quæ tandem ista Hamadryas? an Dryope, ut alii censent? Nugæ. Nam Propertius ab omnibus raptum Hylam facit, non ab una. Scribo, ut & suprà, *ibat Hamadryasin*. & sic plana sententia horum versuum est, nec causa cur ignominiose nota depravationis insigniantur. Cessent jam, inquit, Zethes & Calais sectari puerum: quippe qui factus erat dolor & nova cura ipsis Nymphis.

*Hic erat Arganthonei sub vertice montis.*

Hæc lectio est ab elegãtissimo Mureto, quam hominis caussa libens probarem, ni repugnarent omnes libri. Nam Vatic. & Mureti ipsius, *Hic erat Arganthi phlege sub vertice*. Farnes. *Fege sub*. Fulvij, *Phege*. ut liquidum sit legitimam scripturam esse, *Hic erat Arganthi pege*. Vsus enim est Græco, πηγή.

*Grata domus Nymphis humida Thyniacis.*

Quomodo rectum, Thyniacis? Nam analogiam si sequimur, Thynicas Nymphas dicemus, ut Bithynicas. Refellunt & libri. Nam Farnes. & Mureti, *Thyniasim*. Fulvij, *Thymasis*. ut non magis certum habeam solem illum lucere, quàm Propertium scripsisse *Thyniasin*, ab eo quòd esset Nymphæ Thyniades. Ne quis miretur, primùm cogitandum est totam hanc Elegiam nescio quid præter ceteras ἑλληνίζειν: deinde Plinium testem laudari à Charisio grammatico, qui ipsum Varronem ejusmodi omnia Græcè terminasse confirmet, ita ut ne *Schematis* quidem dixerit, sed *Schemasin*. Hæc ferè Charisij verba: & exstat hodie fragmentum Varronis, *In argumentis Cæcilius palmam poscit, in ethesin Terentius*. Appello postremò fidem M. Antonij Mureti: qui judex à me captus illius superioris conjecturæ, librum mihi conspiciendum in loco præbuit, in quo Antonius Ferillus quispiam ante annos L. adnotat, scripturam, *Dryasin* disertè in vetusto codice exstare.

*Quam circum nulli pendebant debita curæ.*

Quattuor mss. *nullæ*. idque rectum, ut Cicero, *Vnæ rei*, & Plautus, *aliæ mulieri*.

*Cuius ut accensæ Dryades candore puellæ.*

Duo libri, *Cuius inaccensæ*.

# EX IOSEPHI SCALIGERI CASTIGATIONIBVS IN PROPERTIVM.

CRudelis Minyis dixerit Ascanius. Ita liber noster, & rectè. dixerit, εἴποι ἄν. Hujus rei, inquit, testis esse possit Ascanius. Cujus?

*Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti.*

Virgilius in Prolusionibus:

*Altera non forma, dixerit ipse, prior.* Horatius:

— fateor me, dixerit ille, Duci ventre levem —

Ipse & ille, ὁ δεῖνα.

*Sive Aniena tuos.* Noster codex *Amerina.* Pulcherrimus tractus lacus Vadimonis, quam vocat Amerinam undam, ut alibi fusius à nobis dicetur. *Vmbrosæ flumina silvæ,* intelligit locum, ubi Clitumnis per quædam silvarum occulta eripit se è conspectu hominum. Alibi:

*Qua formosa suo Clitumnus flumina luco*

*Integit.* — Hoc suo loco explicaturi sumus.

*Non minor Ausoniis est amor in Dryadas.* Ineptus metaplasmus, & Propertiana facundia indignus. Noster liber & editiones ante Beroaldum, *est amor Adriacis.* Nos olim Valentiæ Cauarum ubi scripti libri fecit nobis copiam Iurisprudentiæ antistes Iac. Cujacius, emendavimus, *ab Dryasin,* moti eodem exemplo in hac eadem elegia infra,

*Grata domus Nymphis humida Thyniasin.*

Nam planè ita sciptum est in libro nostro. Meminimus etiam eadem forma Catullum Minyasin dixisse. Ergo, *Dryasin, Thyniasin, Minyasin,* sunt δρυάσιν, θυνιάσιν, μινυάσιν. *Amor ab Dryasin,* ut infrà,

*Ah dolor ibat Hylas ibat Hamadryasin.*

*Ne tibi sit durum* Lege, *duro.* Ne tibi duro sit adisse. ne ita contumax fueris, ut adeas.

*Egressam longè Phasidos isse viam.* Longè viam, τὴν πόῤῥω ὁδόν. Sic libro quarto,

*Hac ubi Fidenas longè erat ire via.*

Martialis:

*Rus hoc vocari debet, an domus longè?*

Domus longè, ὁ πόῤῥω οἶκος. Allusum autē ad Proverbium: εἰς φᾶσιν ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος.

Mollia

*Mollia composita littora fronde tegit.* Imitatur Apollonium super eadem re. — τοὶ δὲ λεχαίην

φυλλάδα λειμώνων φέρον ἄσπετον ἀμήσαντες

στόρνυσθαι — —

*Raram sepositi quærere fontis aquam.* Ad verbum ex eodem Apollonio:

τόφρα δ' ὕλας χαλκῇ σὺν κάλπιδι νόσφιν ὁμίλου

δίζητο κρήνης ἱερὸν ποτόν. — Sepositi, νόσφιν ὁμίλου.

*Ibat Hamadryas hinc.* Scribe, *Hamadryasin.* ἀμαδρυάσιν. Iam diximus.

*Hic erat Arganthi Phlegre.* Scribe Pegæ αἱ πηγαί.

*Grata domus Nymphis humida Thyniacis.* Thyniasin, liber noster: hoc est, θυνιάσιν.

*Quam supra nulli.* Nullæ, ἀρχαϊκῶς, codex scriptus. Tibullus: — *ullæ non iste puellæ Servire* —

*Et circum irriguo.* Liber, & circunriguo. περιῤῥύτῳ. Omnino totus Græcus est in hac Elegia Vmber noster.

*Innixus dextro.* Apollonius:

λέχριος ἐπιχριμφθείς. —

*Formosum Nymphis credere visus Hylam.* Noster liber *tutus*, non *visus.* quod germanum est Propertij. In quo, ut in tota reliqua Elegia, ἑλληνίζει. Tutus enim est εὐλαβούμενος, φυλαττόμενος.

# EX M. ANTONII FLAMINII CARM. LIB. III.

## De Hercule & Hyla.

*QVid mirare, tuo si regnat corde Lycinna,*
*Nec cessat tantis te cruciare malis?*
*Crede mihi, non solus amas; Veneris puer omnium*
*Est Divûm atque hominum maxima pernicies.*

*Au-*

Audiſtíne, humeris cælum qui ſuſtulit altis,
Auſus & inferni regna ſubire Dei?
Ille idem tanto puerum dilexit amore,
Vt, ſeu nox alto ſurgeret Oceano,
Seu roſeo terras veſtiret lumine Titan,
Hercule cum magno candidus eſſet Hylas.
Nulla dies miſerum puero ſine vidit amantem,
Nec cùm tergemini corpora Geryonis
Sterneret, atque alios invictus mille labores
Imperio duri ſuſciperet Domini.
Quinetiam Colchos peteret cùm pulcher Iaſon,
Amphitryoniadæ tunc comes ibat Hylas,
Ibat Hylas, clavamq́; gerens, Libycamq́; pharetram,
Qualis cum molli Parthenice pluvia
Stat gravis, ac Phœbi radijs adſperſa nitentem
Dat lucem, Paphiæ rarus honos Veneris.
Et jam Pleiades cælo caput attollentes
Linquebant ſacras Nereidum choreas,
Cùm Pagaſæ curvis è littoribus digreſſi
Currebant celeri per vada ſalſa rate,
Quos comitabantur cinctæ fulgentibus armis
Pallas, & ipſa potens cælicolûm Domina.
Iámque volans undis Nerei mirantibus, Argo
Myſorum claris urbibus appulerat.
Hic iuvenes pictis è puppibus egredientes,
Deponunt altis membra ſub arboribus,

Et

*Et molles sibi quisque toros bene olentibus herbis*
*Exstruit, intonso creverat herba solo.*
*At formosus Hylas taciti per devia montis*
*Ibat luciduli sumere fontis aquam.*
*Fons erat in silva puris argenteus undis,*
*Quem bicolore tegit populus alta coma.*
*Et circum Paphiæ densant umbracula myrtus,*
*Et parit assiduas aura benigna rosas,*
*Narcissumq́; Crocumq́; immortalemq́; Amaranthũ,*
*Et te flebilibus scriptum Hyacinthe notis.*
*In medio faciles nudato corpore Nymphæ*
*Ludebant sparsis per rosea ora comis,*
*Quæ puerum cupido miratæ lumine, cùm vix*
*Illius molles tingeret unda pedes,*
*Arreptum subitò vitreum traxere sub amnem,*
*Vt quondam Veris tempore purpurei*
*Stella volans cælo noctis delapsa per umbram*
*Emicat, ínque alto conditur Oceano.*
*Tunc lætus clamat summa de puppe magister,*
*Candida felici pandite vela noto,*
*Pandite: nam cælo Superi bona signa dedere.*
*Sic ait, & placidis per mare fertur aquis.*
*At miser Alcides casu perculsus acerbo,*
*Amissum toto littore clamat Hylam;*
*Littore Hylam, furibũdus Hylam per devia quærit,*
*Qualis thuricremas parva iuvenca Deûm*

Con-

Concidit ante aras, ſed fati neſcia mater
    Non jam frondifero paſcitur in nemore,
Nec dulcem puri libavit fluminis undam,
    Sed fertur celeri per nemora alta pede,
Omnia mugitu complens, ſi fortè veniret
    Bucula maternis obvia luminibus.
Sic heros Hyla ingeminans, Hyla omnia replens
    Errabat dubio per loca ſola pede.
Quantas ille fero profudit corde querelas,
    Pallenti quantas ore dedit lacrymas,
Cùm ſæpè optaret ſcopulo ſe mittere ab alto,
    Aut vitam rapidis ponere fluminibus!
Interea curvo ſolvens de littore funem,
    Colchorum fines iverat AEſonides.
Quem deſiderio pueri confectus inani,
    Mox ſequitur lacrimans Amphitryoniades.
Hos tu ſollicitus Heroum doctus amores,
    Diſce libens duræ ferre jugum dominæ:
Nec te jam pigeat quemvis perferre laborem.
    Omnis amor longo vincitur obſequio.

# EX IOANNIS BAPTISTÆ AMALTHEI CARMINIB.

## Ad Lygdamum.

*TV'ne igitur multa defessus membra palæstra,*
*Non parces vastis Lygdame fluminibus?*
*Nec te cæruleo latitantes gurgite Nymphæ,*
*Nec terrent dubiæ mille pericla viæ?*
*Ah quoties amne in medio dum brachia iactas,*
*Extimui, ne cui grata rapina fores:*
*Aut cùm perspicuis mirarus membra sub undis,*
*Arderes formæ captus amore tuæ.*
*Talis ubi Mysorum agros celsa attigit Argo,*
*Thiodamanteum luserat error Hylan.*
*Fons erat, & circum surgebat myrtea silva:*
*Quam saliens liquidis rivus alebat aquis.*
*Quinetiam æterni pingebant gramina flores,*
*Flagrabátque Arabo semper odore nemus.*
*Huc puer ad gelidos properabat fortè liquores:*
*Et teneram implebat fictilis urna manum:*
*Vrna manum implebat varijs distincta figuris:*
*Quam quondam Alcidæ fecerat Eurytion.*
*Illic Geryonem triplici cælaverat auro,*
*Et monstrum Nemees, & Diomedis equos.*
*Stabant Lernæi linguis vibrantibus angues,*
*Et terror silvæ sus Erymanthe tuæ.*

Ille

Ille autem vario texens è flore corollas,
Incustoditum sæpe moratur iter.
Nunc nova formosa decerpit lilia dextra:
Nunc teneris ornat serta papaveribus.
Nunc etiam placidos invitat carmine ventos,
Vt levis æstivum temperet aura diem.
Interdum auditis avium concentibus hæret:
Tentat & argutos voce referre modos.
Ille tamen prope fontis aquas incautus & amens
Constitit, & vanis arsit imaginibus.
Miratur nigros oculos, miratur & ora:
Et desiderio deperit ipse sui.
Quæ te, inquit, formose puer, iam fata retardant?
Complexúque meo sæpius eripiunt?
Quid prohibet socio coniungere corpora lusu?
Mutuáque alternis oscula ferre genis?
Intueor dum pronus aquas, & brachi ı tendo,
Surgis, & hæc eadem tu quoque signa refers.
Et tanquam nostri solitus miserescere luctus,
Confundis mæstis lumina lacrymulis.
Audierant miseras liquido sub fonte querelas
Naiades, atque imis exsiluere vadis.
Tum puerum magni clamantem nomen amici
Certatim cupidis corripiunt manibus.
Sed quid iam Alcides prosit, contraria quando
Fata obstant, tanti conscia fata mali?

*Illum Nymphæ arctis retinent complexibus omnes;*
*Et cohibent fusis undique fluminibus.*
*Fulgebant nitidis argentea membra sub undis,*
*Vt micat è magno Lucifer Oceano.*
*Solantur lacrymantem, atque oscula dulcia figunt:*
*Ille tamen nescit cedere blanditijs.*
*Interea iratúsque sibi, plenúsque timoris,*
*Implorat crebris vocibus auxilium.*
*Parte alia quærebat Hylam Tirynthius heros,*
*Et planctu implebat concava saxa suo.*
*Vallis Hylam resonabat, Hylam nemora avia circū,*
*Et consors gemitus ripa iterabat Hylam.*
*Tunc urgere Deos questu, tunc omnia passim*
*Lustrare, & cari quærere signa pedis.*
*At puer, ut notas conatur reddere voces,*
*Saxorum vastis clauditur obicibus.*
*Nec potis est vox ulla leves erumpere in auras,*
*Nec petere absentis præsidium domini.*
*His tua nunc primùm metire pericula damnis*
*Lygdame, & exemplo cautior esse velis.*
*Et seu luctantes sudore rigaveris artus,*
*Seu longam in silvis iuverit ire viam,*
*Effuge Nympharum accessus, neu crede repostis*
*Te fluvijs, quoties occupat ossa calor.*
*Et potius non ulla habeant hæ flumina ripæ,*
*Quàm tu unquam Herculei fata sequaris Hylæ.*

## AD ZOILVM.

*Zoile si quid habes, aut frons tibi si super ulla est,*
*Aude iterum, atque in nos cornua verte tua.*
*Sed nunquam vertes: notas sed versus ad artes,*
*Cum Grudijs finges scripta perîsse tua.*
*Et bene. nam serpens, fluvius, vel denique taurus*
*Vt fias, alter mox Achelous eris.*

## DE EODEM.

*SI, cui disperiere sua haud disperdita scripta,*
*Is cupit in doctis esse & haberi aliquis;*
*Zoilus iste meus, qui nomen captat honestum,*
*Et cupit in doctis esse & haberi aliquis;*
*Fingit disperijsse sua haud disperdita scripta.*
*Dicite an in doctis possit haberi aliquis.*

## AD CLARISSIMVM ET ERVDITISSIMVM VIRVM N. ASCANIVM.

*CAtulle optime, & optimi Catulli*
*Vos vestigia proximè insecuti*
*Vates, quos parili Thalia cursu*
*In certamine dispari, phaselum*
*Illam maximi & optimi poëtæ*
*Vidit non parili arte consecutos:*
*Vos ô vos lepidissimi poëtæ*
*Ite, & Ascanium tenete vestrum.*

Vestris

*Vestris delicijs leporibusque;*
*Quem nunc Curia serijs seueris*
*In rebus tenet occupatque totum.*
*Illi post strepitus negotiorum*
*Quae circum saliunt caput latusque,*
*Cùm fessam nimio labore mentem*
*Musisque et solitae dabit quieti,*
*Credo vt è tenebris vetusta multa*
*Sepulta eruat, et nouo nitore*
*Tincta, postgenitorum in ora prodat:*
*Frontem exporgite, & expedite curas.*
*Tam grati ipsi eritis, fuisse gratum*
*Quàm ferunt bene passerem venustum*
*Olim maximi et optimi Catulli*
*Missum maximo & optimo Maroni.*

Sixtus Octauianus.

FINIS.